

JOSEPHI QUARIN

Æ CÆS. REG. APOST. MAJ. DEPUT.
IC. ET INF. AUSTR. REGIM. CONSIL. SANIT.
AC IN NOSOCOM. FRATR. MISERIC.
PHYSICI

METHODUS

MEDENDARUM.

INFLAMMATIONUM.



AUDAX et PROVIDUS.

Inv. N. 84.865

VINDOBONÆ
APUD RUDOLPHUM GRÆFFER. 1774.

PERILLUSTRI MAGNIFICO

A C

CLARISSIMO DOMINO

ANTONIO
STÖRCK

AUGUSTISSIM.

IMPERATORIS, ET IMPERATRICIS

A CONSILIIS, ARCHIATRORUM COMITI,
STUDII MEDICI CÆSAREO - REG. PRÆSIDI,
ET DIRECTORI, NOSOCOMII PAZMARIANI
PHYSICO, SOCIET. FLORENT. ACADEM.
SCIEN. SIEN. ACAD. PRINCIP. HASS.
INSTIT. BONON. ET ACAD. NATUR.
CURIOS. &C. &C. MEMBRO

V I R O

ARTE, HUMANITATE, ET CANDORE

I N S I G N I


OB VITAM BIS CONSERVATAM

IN JUSTÆ GRATITUDINIS TESSERAM

HOC OPUSCULUM,

ET SEIPSUM

D E D I C A T



AUCTOR.

C A P U T IX.

De Colica.	159
De Colicæ inflammatoria.	160
De Colica flatulenta.	172
De Colica biliosa.	178

C A P U T X.

De Ileo.	183
----------	-----

C A P U T XI.

De Nephritide.	203
----------------	-----

C A P U T XII.

De Rheumatismo.	212
Formulæ.	231





CAPUT I.

DE

Inflammatione in genere.

Definitur inflammatio, quod fit tumor rubens, splendens, renitens cum calore, dolore fixo, pulsu duro, & functione læsa partis adfectæ.

Non requiritur, ut hæc signa omnia adfint. Nam sæpe tumor inflammatae partis non in conspectum venit. Quandoque doloris loco, ut in peripneumonia, & hepatitide, anxietas adest. Nonnunquam, ut in ophthalmia, & quibusdam anginæ speciebus, nec pulsus durus, aut fortis tangitur. Imo in gravioribus inflammationibus neglectis, vel male curatis, pulsus parvus & debilis occurrit. Quan-

A

doque

doque, sed rarissime, nullis signis inflammatio latens detegi potuit: sic celeberrimus Universitatis hujus Professor Antonius de Haen (a) casum habet ventriculi perquam inflammati, & gangrænosi, ubi ad mortem fere usque nec signa febris aut gangrænæ in pulsu, nec signa doloris in hoc viscere, nec signa alicujus in ejusdem functione defectus adparuerunt.

Verum hæ deceptiones, ut clarissimus Selle monuit (b), in febribus biliosis & putridis frequentiores sunt, quam in morbis vere inflammatoriis.

De causa inflammationis dissentiunt Auctores. Quidam a sola humorum tenacitate, quidam ex acrimonia quadam partes sensibiles irritante: alii ab utraque hac inflammationem produci existimant.

Boërhaavius causam proximam inflammationis stagnationem sanguinis in vasis arteriosis cum majori impetu humorum a tergo motorum statuit.

Alii

(a) Ration. med. part. vi. pag. 263.

(b) Rudiment. Pyretolog. methodic. pag. 108.

Alii volunt, quod sanguis per arterias transfudet, & in cellulofam extravafetur, existimantes melius inde inflammationem ab acribus adplicatis explicari poffe.

Probant fuam fententiam ex fuppuratio-
ne & gangræna, quæ in tunica cellulofa lo-
cum habet: ex injectionibus in vafa fangu-
inea per clariffimum Meckel factis non in
lymphatica, fed in cellulofam penetrantibus:
ex animalibus motu ante mortem exercita-
tis, quorum aorta a fanguine transfudante
inflammat.

Uberius de his legi poffunt Halleri To-
mus primus Phifiologiæ majoris, & Supple-
menta Ernesti Platneri in Institutiones chi-
rurgicas parentis.

Crudelem illum ludorem fanguineum
in cellulofa fpatia pulmonis effufum vidit Il-
luſtris Hallerus (a).

Obſtruçtio in cphthalia autopfia de-
monſtratur.

Forte utraque fententia locum habet;
cum ipſe Illuſtris Hallerus in malo inchoa-

(a) Opufcul. patholog. obſerv. XIV. Hiftor. I.

to arterias obstructas esse posse contendat : sed

Non nostrum inter vos tantas componere lites ,

quæ forte in curatione nullam diversitatem creant; cum ex utraque opinione remedia ad celeritatem sanguinis minuendam, cruoris firmitatem adtenuandam , & acrimoniam corrigendam commendentur.

Obstructio illa vel effusio ab innumeris nasci potest : ut ab acribus ingestis, calore, motu vehementi, evacuationibus consuetis suppressis , vi externa &c.

Mediæ ætatis homines magis morbis inflammatoriis obnoxii sunt, quam infantes & senes.

Prognosis variat pro ratione ætatis, subjecti , epidemiæ.

Facilius enim ceteris paribus inflammatio in feminis, & junioribus curatur : quam in adultis , & duro labore fractis corporibus, ob canales mobiles, & humores minus densos.

Gravidæ duplex periculum incurrunt morbi inflammatorii, & abortus metuendi.

Phthi-

Phthificis inflammatio visceris nobilioris, ut pulmonum, hepatis, accedens fere lethalis.

In scorbuticis ne levis quidem inflammatio uncula, licet ab externis causis in cruribus nata, resolutione tollitur; sed fere semper in ulcerosam diathesin degenerat.

Idem etiam in aliis omnibus cacochymiis, quæ acrimoniam comitem habent, observavit van Swieten.

Inflammatio benigna resolutione, criticis evacuationibus, metastasi ad alias partes solvitur; vel in suppurationem, gangrænam, sphacelum, scirrhum abit.

Benigna resolutio tantum speranda in mitiori malo, & humoribus blandis &c.

Evacuationes criticæ sunt, quæ morbum levant, & prægressa coctione adparent.

Ut plurimum ea via fiunt, per quam a visceribus in statu sano quædam excerni videmus. Hinc in hepatitide, & intestinorum inflammatione diarrhoea, in nephritide urina, in peripneumonia sputa critica &c. crebrius observantur.

Metastasis prævidetur : si nec benigna resolutione , nec critica evacuatione morbus solvatur ; aliæ vero partes, ut inguina, parotides &c. tumeant , rubeant , doleant.

Si enim ad partes nobiliores , ut hepar, lienem &c. contingant : mors plerumque sequitur , nisi alia evacuatio succedat.

Malum in suppurationem abit , ubi inflammatio vehemens , sed non maxima, nec benigna resolutione , nec critica evacuatione solvitur.

Docent eam in parte nobiliore remissio symptomatum , horripilationes absque alia ratione manifesta succedentes , febricula , & si post dolorem acutum ponderis sensus in loco adfecto percipiatur.

Nonnunquam tamen acerbissimus dolor superest , licet locus suppurandus perfectissime maturuerit ; quia pus collectum , & auctum quotidie, cutim incumbentem distendit, & sensim dilacerat.

Fluctuatio tumoris pressi, quæ ut signum suppurationis factæ statuitur, commode nec quidem in externis partibus percipi potest, nisi emineat tumor ; dum enim in pannicu-

lo adiposo profunde inter musculos decurrente abscessus hæret, hoc signo non facile detegetur.

Aliquando a pure distento sic comprimuntur vasa cutanea, ut sublato vitali influxu & effluxu humorum pars gangrænescat, & sublividum colorem aquirat.

Collectio puris in loco clauso vomica audit.

Hæc diu relicta erosiones per vias varias, sinus, fistulas creat: vel resorpta febrim incendit.

De puris resorptione dubitat Clarissimus Platnerus junior, & eos errare credit, qui pus, sanguinem in tumore quiescentem liquefactum, & cum tunicæ adiposæ ipsorumque vasorum finibus exesis mistum, statuunt: sed ea mala, quæ a reducto pure duci solent, a materia purulenta ex sanguine excussa, & a viscerum officio suo exequendo imparium inertia, & hebetudine quadam repetit.

Non negare cupio diathesin purulentam in sanguine existere, cum ex levi & angusto ulcere tanta quandoque puris copia emanare soleat, cui nec continendo, nec præpara-

rando illa vel tumoris vel ulceris angustia par esse poterat.

Pessima tamen mihi mala occurrebant, quæ refoorto puri originem debebant. Ideo & Celeberrimus Pringle abscessus in febris continuis ortos brevi aperiendos suadet.

Vomica rupta majus vel minus periculum portendit pro ratione puris, & pro diversitate partis, quam occupat.

Optimum est album, spissum, instar cremoris lactis, ad tactu pingue, inodorum. Quo magis ab his qualitatibus recedit, eo pejus.

Gangræna sequitur, ubi inflammatio maxima, rubedo summa in purpureum vergens, calor urens, & dolor magnus, continuo increfcens, observatur.

Præfens noscitur phænomenis inflammationis absque ratione subito ablati; debilitate; frigore extremorum.

Si pars visibilis sit: colore cinereo, fusco, livido, nigro; pustulis ichore subflavo, rubello, nigro refertur.

Licet in parte gangrænosa proprie nullus sensus sit, a partibus subpositis, & am-

bien-

bientibus adhuc vivis & inflammatis non raro dolor oritur, qui pro bono signo habetur, si in toto ambitu partis jam gangrænosæ rubor, dolor, calor, tensio &c. inveniantur; modo non tam valida sint hæc symptomata, ut metus sit, & hanc inflammationem in gangrænam tendere.

Novimus enim tunc vitam superstitem in reliquo corpore moliri separationem gangrænosæ corrupti a vivis partibus vicinis.

Variat periculum pro diversitate partis adfectæ, ætatis, temperamenti, & virium ægri.

Si in parte gangrænosa omnis sensus, motusque pereat, & fœtor cadaverosus accedat: sphacelus adest.

In partibus externis cute tectis pars sphacelosa instar arefacti corii durefcit, in reliquis potius in tabem gangrænosam deliquescit.

Gangræna est incipiens mors partis, sphacelus perfecta mors.

Gangræna ut plurimum panniculum adiposum, sphacelus cuncta ad ossa usque inficit.

Gangræna præcedit, sphacelus sequitur: nisi ab ossis corruptione, medullæ, vel periostei originem duxerit.

Omnis sphacelus periculum portendit, quod augetur pro ratione ætatis, temperamenti, & partis, quam occupat.

Superiora petens, singultu, sudore frigido stipatus, pessimus.

Si inflammatio tumorem durum, indolentem relinquat, scirrhus dicitur, cujus ut plurimum sedes glandulæ sunt: licet etiam in aliis partibus tales præternaturales duri indolentes tumores nascantur.

Scirrhus per se est innocuus: sed dum mole augetur, vicina comprimendo, inflammationes, atrophias, sphacelos creat.

Scirrhus semper ægre sanatur, cum materies in glandulis collecta, & inspissata extra circulationis limites quasi hæreat, neque impetus liquidi arteriosi directe adeo in hæc loca agere possit.

Inveteratus, & qui in glandulis magis compositis hæret, curatu difficilior.

Si in scirrho titillatio, pruritus, ruber, dolor urens, pungens; color ex rubro

bro in purpureum, lividum mutetur; durities maior, scabra, cum eminente apice; vasa sanguifera vicina tumentia, varicosa, crassa, atra animadvertantur: cancer dicitur. Licet & hic absque scirrho prægresso, ut in lingua, labio oris, quandoque nascatur, qui a nonnullis cancer fungosus dicitur.

Antea descriptus occultus audit. Ubi vero excoriata quasi epidermide denudatur, & aperitur; tenuis, acer ichor transprimitur: apertus nuncupatur.

Diætiis signis occultus cancer in partibus corporis externis hærens satis cognosci potest: ubi autem in interioribus delitescit, difficilium hoc scitur.

Scirri prægressi signa, calor, & dolor in iis locis, in quibus antea inertis tantum ponderis sensus percipiebatur, lucem in obscuris his casibus dant.

Prognosis est pessima. Cancer occultus, non admodum dolens, ab hominibus temperanter viventibus diu absque graviore molestia ferri potest. Secus vicinæ partes adficiuntur, fœtor cadaverosus, hæmorrhagiæ

giæ lethales, febres, convulsiones, mors, sequuntur.

De cura generali inflammationis brevis ero: cum chirurgica vis in hac arte exercitatis relinquam; medica vero ex sequentibus Capitibus inflammatorum viscerum abunde, ut opinor, pateant.

Indicationes sunt: ut impetus humorum exorbitans minuatur, a partibus nobilioribus derivetur, nimis torpens excitetur; crassum incidatur, crudum coquatur, & coctum evacuetur.

Impetus humorum minuetur, & a partibus nobilioribus derivabitur, venæ sectionibus, hirudinibus, clysmatibus, fomentis, sinapismis, purgantibus antiphlogisticis.

Phlebotomia efficacissimum in inflammationibus est auxilium: partim ad humorum copiam minuendam, adtritum & impetum in locum obstructum minuendum: partim ut depletione facta, diluentia, solventia, eo validius vim suam exerere possint.

Optime vena secatur in loco parti inflammatae maxime vicino.

Quæ in tractatu de febribus medendis de venæ sectionibus dicta fuerunt (a), huc revocanda sunt

Verum non solum morbi inflammatorii felicissime per phlebotomiam debellantur: sed & futuri præcaventur in iis, qui dispositionem ad inflammationes: nempe vasa robusta & humores densos habent; qui spirituosos abutuntur; aut ob negotia injuriis aëris, motibus violentioribus se exponere coguntur.

In juvenibus enim & sanguineis, febribus acutis correptis, a sanguinis missione neglecta phrenitidem, inflammationem ventriculi, & pulmonum lethalem vidit Fridericus Hoffmannus.

Verum Medici nomine indigni sunt, qui ob quemlibet dolorem, æstum, & anxietatem, sanguinem detrahunt: inde Lommius (b), & van Swieten omne corporis robur solutum, ac hydropes; Sydenhamus manias;

Tiffot

(a) Pag. 7. 8.

(b) De curandis febribus continuis pag. 25.

Tillot in hysteriſicis ſpasmus, & convulſiones viderunt.

De venæ ſectiōe repetita prophylactica Galenus optimum judicium tulit. Sæpius per annum venam ſecare non expedit, quippe cum ſanguine e vena vitalis excernitur ſpiritus; eo autem copioſius abſumpto, univerſa corporis moles refrigeratur, omnesque naturales operationes deterius perficiuntur.

Crasſum in inflammatione incidetur, & crudum coquetur per ea, quæ relaxant, ſolvunt, abſque quod humorum impetum, & velocitatem augeant.

Hinc varia remedia ex hordeo, avena, radice graminis, althææ, rob ſambuci, melle, oxymelle, ſyrupis ex fructibus horæis paratis, cum largiori nitri doſi, parari poſſunt.

Ubi febrilis impetus languet, quod ex viribus, pulſu, habitu ægri patet: ab evacuationibus, multum refrigerantibus, abſtinendum; ſed ad vinoſa, veſicantia, camphoram, & moſchum confugiendum.

Veſicantia optime monente Clariffimo Ludwig minime conveniunt in ficcis corporibus, imprimis ſi ſpasmus vehementiores,

vel

vel inflammatorii motus universales adesse observentur.

Vesicas factas solummodo aperire oportet. Cavendum, ne epidermis auferatur; quia hoc dolores tantum auget, & nihil ad sanationem contribuit.

In suppuratione motus nonnunquam augendus, nonnunquam minuendus.

Moderamen adesse noscitur: si calor in loco inflammato sani caloris gradum quidem excedat, nec multum tamen; si dolor adsit, sed non summus; si tumor, rubor, in partibus conspicuis augeantur quidem, sed sensim.

Bene itaque monet van Swieten nullum universale suppurans esse: sed prout vel augeri, vel minui debet motus humorum, diversam requiri medelam.

Sic in juvenibus, ubi nimius calor, cataplasmata ex lacte conveniunt. In melancholicis, senibus, aut frigidæ temperiei hominibus, stimulantia requiruntur: ut bulbi cepearum subcineribus affatarum, gummi galbanum, ammoniacum.

Abcessu perfecte maturato puri exitus conciliandus.

Si manibus accessus detur, id vel ferro, vel caustico fieri potest.

Verum monet Illustris van Swieten, quod major dolor a caustico metuendus sit; cum longius tempus requirat, & cum vehemens sæpe dolor sentiatur, dum eschara sensim a vivis partibus contiguis secedit. Major præterea cicatricis deformitas solet sequi post hujus adplicationem.

Apertura abcessus plano plumaceolo tegenda est: ut pus collectum libere effluere possit, cavendo simul, ne fasciæ, vel emplastra premant orificium.

Vitandæ turundæ ex linteis carptis, quæ orificium obturando exitum collecto puri impediunt, quod dein in panniculo adiposo tam facile dilatabili sinuosas sæpe vias quærit. Locus demum mundandus, & consolidandus.

Taceo gangrænam a frigore, senio, contusionibus magnorum nervorum, aut spinæ dorsi, ortam.

In gangræna, quæ inflammationes sequitur,

quitur, primo examinandum, an vires exorbitent, aut deficient.

Si pulsus sit fortis, magnus utcunque durus; calor vehemens, ad extrema corporis usque pertingens; si urina colorata, rubra fuerit, novimus magnas circulationis vires esse, quæ quandoque licet rarius venæ sectione minuendæ sunt.

Medicamenta conveniunt ex floribus sambuci, aceto, succo citri.

Si magna sitis urgeat, acida mineralia ad gratum acorem diluta pulchre profunt.

Ubi vires fractæ, pulsus debilis, talia danda, quæ spiritus excitant: ut vinum Rhenanum, Austriacum, camphora, medicamenta ex melissa, mentha, ruta.

Secus indicatur in omni gangræna, ut vires firmentur, putridi ingressus in venas impediatur, putredo arceatur, & coerceatur.

His tribus indicationibus cortex peruvianus satisfacit, ad unciam unam, duas, nonnunquam tres nycthemero exhibendus.

Quomodo gangrænoso putrido limites circum scribendi sint, & tentandum, ut mortuum a vivo separetur, ad chirurgica pertinet.

Quæ de gangræna dicta sunt, locum habent de sphacelo.

Partem extremam in os usque sphacelatam salva vita, una cum osse extirpandam vult Boërhaavius. Rarissimi enim casus sunt: ubi sponte sua partes sphacelatæ ceciderunt, & natura sine ullo artis auxilio curam perfecit.

In scirrho recenti fomenta emollientia, leniter solventia, ex sapone veneto in lacte soluto, inunctiones mercuriales (cavendo tamen salivationem) tentari possunt.

Interne remedia ex sapone cicuta sæpe profuerunt.

His non levantibus extirpatio facienda, si locus, situs scirrhi, conditio, robur, & valetudo ægri eam admittant.

Cavendum a suppurantibus, rodentibus, causticis, dissipantibus, ne carcinoma succedat.

Cancer non adcretus, solus in toto corpore juvenili, ceterumque sano ilico extirpandus.

Varia remedia in cancro quandoque cum successu adhibita fuerunt: ut cortex,
peru-

ruvianus, belladonna, cicuta. Ab hac can-
 cros sæpe mitigatos, quandoque curatos,
 cum aliis viris fide dignissimis observavi.

CAPUT II.

DE

Phrenitide.

Delirium ferox, & perpetuum cum fe-
 bre continua acuta phrenitis est, in-
 flammationem cerebri, & membranarum ejus
 pro causa proxima habens.

Nam cadavera phreniticorum corticem
 cerebri ruberrimum, meningis inflammatas,
 suppuratas, gangræna, aut sphacelo cor-
 ruptas exhibuerunt.

Ubi primario cerebrum adficitur, phre-
 nitis vera audit. Si vero, aliis partibus
 prius adfectis, & encephalon inflammetur
 phrenitis symptomatica oritur: ut a pleuri-
 tide, angina, morbillis, variolis, erysipelate,
 paraphrenitide &c. nonnunquam accidit.

Morbus a phrenitide diversus est: dum materies morbi aliis partibus adfixa delirium ferox creat: ut in febribus continuis a bile putrida circa præcordia hærente notatur, qua excussa ilico redit functionum cerebri integritas.

Juvenibus, adultis, agilibus, mente mobilibus crebrior est phrenitis; vel & iis, qui dispositionem ad inflammationes, nempe vasa contracta, robusta, humores densos, & acriores habent.

Qui jam antea phrenitide laborarunt, facilius ea iterum corripiuntur. Horum pulsus major, & celerior esse solet, corpus gracile, robustum, & calidum.

In nonnullis, sæpius hunc morbum passis membranæ cerebri crassæ, duræ, & quasi callosæ reperiuntur.

Imprimis autem, notante van Swieten, proclivitas in phrenitidem observatur in morbis, in quibus inflammatoria quidem dispositio manifesta est: materia autem phlogistica non adeo pertinaciter parti cuidam corporis fixa inhæret, sed potius vaga, & mobilis videtur. Casum refert mulieris, cui ob-
orta

orta febre continua acutissimus dolor finistram suram occupabat. Adplicuerunt lintea, spiritu vini madida parti dolenti; post bihorium dolore suræ evanido pessime delirabat, & paulo post convulsa periit secundo morbi die.

Nimia mentis, & corporis exercitatio; insolatio; consuetæ hæmorrhagiæ subpressæ; abusus spirituosorum; tempus anni calidissimum phrenitidem producere valent.

Inter animi pathemata ira maxime ei gerendæ favet; dum inde sanguinem majori copia & impetu versus caput ferri novimus.

Cum phrenitis jam præfens difficillime sanationem admittat, signa illa probe consideranda, quæ eam metuendam docent: ut vigiliæ, somnus turbatus; oculi rubentes; ingens dolor capitis cum sensu magni caloris, pulsationis; constitutio epidemica.

Præfens noscitur, ut superius monui, ex febre continua acuta cum delirio perpetuo & feroci. Licet & pessimæ phrenitidis species observentur, in quibus ægri obscure tantum delirant.

Oculi sunt truces, & prominentes; respiratio rara, & magna; lingua sicca; facies rubra inflata.

Nonnunquam phrenitici admodum somnolenti, nonnunquam infomes sunt.

In initio morbi pulsus est durus; sed eo profecto quandoque tremulus, undosus, inæqualis.

Phrenitis idiopathica, quæ in terris nostris rarissima est, summum periculum portendit. Prosper Alpinus similis meminit post tres, quatuor horas lethalis (a). Secus tertia, quarta, septima die necat sopore profundo, vel convulsionibus, raro hanc transgreditur.

Symptomata valde quoque periculosa; sed diutius potissimum protrahitur.

A leviori angina, absque bonis signis evanescente, lethalis sæpe oritur phrenitis.

Viri gravius laborant, & ægrius evadunt, quam feminæ, testante Home (b).

Mala est permutatio perpetua symptomatum; cum magis magisque sensorium
com-

(a) De medicin. ægyptior. pag. 50.

(b) Princip. Medic. pag. 103.

commune turbari, & malum ad alias partes propagari notet.

Alvus subpressa; urina pallida, & tenuis sinistrum præfagiunt morbi eventum: quia acria, quæ excerni deberent, in corpore manent.

Sed & alvi fluxus in initio morbi timendus est; cum, testante van Swieten (a), si in morborum acutorum initio per sudorem, alvi fluxum, vel aliam quamcunque evacuationem dissipentur liquidissima, semper magnus metus sit infauti eventus; cum particulæ crassissimæ sanguinis, interposito liquido tenuiori, a mutuo contactu, & concretionem impediuntur.

Pessimus est vomitus æruginosus; dentium stridor; floccorum collectio; feces albæ; sudor frigidus; convulsio; sputatio frequens in adstantes. Mali quoque ominis sapor ex delirio sine crisi.

Bonum signum; si dolor aliarum partium superveniat.

B 4

Phrenitis

(a) Commentar. in Hermann. Boërhaav. aphorism. Tom. I. pag. 655.

Phrenitis & in lethargum, coma, catochen terminatur.

In puerperis, dum ex lochiis retentis nata, frequentissime in maniam, & fatuitatem perpetuam abit, observante van Swieten.

Levant varices, hæmorrhoides, hæmorrhagiæ narium, & alvi fluxus post phænomena coctionis sequentes; quia materiam morbosam ab encephalo revellunt, ac evacuant.

Solvitur & phrenitis per metastasin; rarissime per sudorem.

Urina cum sedimento cocto crisis signum est.

Constat ex prioribus signa quandoque esse, quæ phrenitidem futuram præfagiunt. Convenit tunc: ut subito ea omnia in auxilium vocentur, quæ impetum humorum minuunt, & a superioribus derivant. Ut venæ sectio; hirudinum ad tempora, & si hæmorrhoides tumeant, ad anum applicatio. Caput est radendum; oxycratum fronti applicandum; clysmata, pediluvia, & epispastica (N. r.) ad partes inferiores in usum vocanda.

Ubi a lochiis retentis phrenitidis futuræ metus est, infessus supra aquam calidam prodest.

Corpus moderato frigore reficiendum, & erectum tenendum: ne tanto impetu sanguis ad superiora feratur. Observamus enim hominibus, horizontali situ in lecto decumbentibus, caput tumere, & tumorem brevi evanescere, dum corpus iterum erigitur. Videmus & in plurimis ægris valide delirantibus increfcere delirium decubitu supino, & paululum minui erecto corpore.

Remedia convenient antiphlogistica, diluentia, lenioribus purgantibus mixta: ut decoctum tamarindorum cum succo citri, & nitro (N. 2.).

Phrenitide nata similia fere requiruntur auxilia, quæ cito, & valide agunt: ne in viscere hoc nobili aut suppuratio, aut gangræna lethalis oriatur. Hinc venæ sectio larga, & per amplum vulnus instituenda requiritur.

Suadent multi Auctores, ut arteria temporalis aperiatur; cum non facile ad subpositam calvariam comprimi possit. Sed bene mo-

net van Swieten: quod arteritomia non videatur a venæ sectione differre; nisi quod prior celerius agat.

Attendendum: ne furibundi ægri fascias solvant, & hæmorrhagia lethalis inde sequatur.

Abstinendum ab omni detractioe sanguinis pulsu jam tremulo, & undoso.

Epispastica acriora (N. 3.) in phrenitide ad plantas pedum conveniunt. Abstinendum a vesicantibus. Monet Illustris van Swieten: ne talia inferioribus partibus adplicentur, quæ motum humorum per totum corpus acriori stimulo incitare possint.

Adponenda tamen vesicantia, & ad furas, & ad nucham, ubi pulsus debilis, inæqualis, intermittens tangitur.

Medicamenta inicantur, ut superius monui, quæ sanguinem diluunt, adtenuant, humorum molem, & motum, eorumque impetum ad partes superiores imminuunt. Hinc variæ formulæ ex tamarindis, cremore tartari, aceto, succo citri, manna, syrupis ex fructibus horæis paratis, addito multo nitro, formari possunt.

Pro

Pro potu limonada, vel decoctum (N.4.) hordei cum aceto, nitro, melle, aut cremore tartari convenit.

In symptomatica phrenitide ad genium, & epidemiam morbi attendendum est. Sic Sydenhamus observavit: venæ sectionem in quadam epidemia nullum juvamen tulisse, sed clysmata, & spiritum vitriolia; in alia vero purgantia juviffe.

Celeb. Pringle & Home levem camphoræ dosim cum nitro in phrenitide commendant. Mihi vero, ubi pulsus undosus, tremulus, inæqualis, subsultus tendinum, & convulsiones adsunt; moschus ad tria, aut quatuor grana omni trihorio, aut quadrihorio exhibitus præplacet, quod & nervis amicus sit, & sine stimulo permanente vasa permeet.

Ubi vero pulsus æqualis, fortis, plenus, ab omnibus stimulantibus abstinendum.

Boërhaavius in phrenitie, diluentibus, ac evacuantibus non cedente, opiatorum usum suadet.

Commendat & eadem Illustr. van Swieten, ubi malum mitescit: delirium tamen adhuc, & noxiæ adeo vigiliæ in hoc morbo

morbo manent. A lenioribus autem anodynis incipiendum, & sensim, si priora non suffecerint, ad fortiora progrediendum esse monet.

Cavendum quam maxime ab opio ad somnum conciliandum in initio, aut vigore phrenitidis. Ab eo enim alvi evacuatio adeo proficua subprimitur, & sanguis majori copia ad caput fertur; hinc deliria, inflammatio facile augebuntur. Inde & Cœleb. Gorter opium inter causas delirii numerat.

Post phrenitidem nonnunquam mania, melancholia, amaurosis, surditas remanet, a debilitate, & vasis adhuc dilatatis, erroreque loci obstructis.

In similibus affectibus nocent evacuationes. Aër ruralis; frictions; vesicantia ad nucham, pone aures; victus eupeptus commendanda.

Quandoque malum est immedicabile, dum materies obstruens cum canalibus jam concreta est.

Aër frigidiusculus, sæpius renovatus in phreniticis necessarius est. Hinc æstivo tempore adpersio frigida in pavimenta; suspensio

ſio linteorum, muria ſalis ammoniaci madidorum, plurimum prodeſt; vel ſi virentis ſambuci, roſarum &c. rami aquæ immergantur.

Omnia inſolita, & ingrata ab ægris removenda. Hinc alii in luce, alii in tenebris, prout has vel illam minus horrent, collocandi ſunt.

Peſſimus mos eſt columbas vivas lacerare, & capiti adplicare. Cum noxium foveant calorem; & dum cito putreſcunt, effluvia earum putrida, bibulis vaſis abſorbta facile febrim incendunt.

Qui ob itinera, aut labores radiis ſolaribus ſe exponere coguntur, ſuadente Tiſſot, pileolis albis utantur, aut chartam albam pileo adfigant: ut radii ſolares refleſtantur.

CAPUT III.

DE

Angina' inflammatoria.

Angina inflammatoria est impedimentum, & dolor ab inflammatione partium degluttoni vel respirationi inservientium supra pulmones, & stomachum positarum: ut asperæ arteriæ, laryngis, pharyngis, musculorum ossis hyoidis, veli penduli palatini, uvulæ, & frequentissime tonsillarum.

Epidemica est, & sporadica; idiopathica, & sympathica. Ultima a podagra, erysipelate, morbillis, ac variolis retrocedentibus sæpe nascitur.

Juvenes, sanguinei, collum nimium constringentes, &, observante Sydenhamo, rufi frequentius angina laborant.

Crebrius quoque hic morbus mares, quam feminas vexat.

Impedita transpiratio; subitæ frigoris, & caloris vicissitudines; aër per rimas angustas,

gustas , aut portas obpositas frigidus , præfertim collo illapsus ; equitatio adversus ventum frigidum ; cantus , vociferatio , tubarum inflatio ; alimenta , medicamenta , & venena acria ; evacuationum consuetarum subpressio ; constitutio epidemica anginam inducere valent.

Nonnullis dispositio particularis ad hunc morbum est , ita : ut omni anno eodem adficientur.

Noscitur angina inflammatoria ex pulsu celeri , duro ; siti ; dolore faucium ; urina rubra &c.

Pro diversitate partium adfectarum diversa observantur symptomata.

Si pharynx sit inflammata , respiratio est sat commoda ; deglutitio dolens , impossibilis ; deglutienda per nares redeunt. Posterior pharyngis pars , vertebris colli incumbens , aperto ore conspici potest.

In larynge inflammato vox est acutissima , stridula ; dolor ingens inter deglutendum , cum tunc larynx elevetur.

Inflammatio asperæ arteriæ signa externa nulla præbet , cum ore aperto , & depressa

pressâ lingua extremum tantum epiglottidis adpareat, glottis vero nunquam in conspectum veniat. Vox est acuta, clangosa, fibrilans; inspiratio acute dolens; respiratio parva, frequens, summe laboriosa; pulsus ob circulationem sanguinis per pulmones difficilem mire & cito vacillans.

Bene monet Illustr. van Swieten (a): quod licet quis in distinguendis laryngis, & asperæ arteriæ inflammationibus hallucinaretur, non aded multum inde metuendum foret; cum ambæ hæ funestissimæ sint, & eandem curationem requirant.

Si foli musculi, elevando ossi hyoidi inservientes inflammantur; plerumque tantum in uno latere affectus talis hæret. In spectis faucibus nullus sæpe tumor adparet; cum musculi illi profundius recondantur.

Distinguitur hæc a ginæ species a præcedentibus: quod respiratio satis libera maneat, neque acuta adeo, & clangosa vox sit.

Ton-

(a) Tom. II. pag. 659.

Tonsillæ, uvula, velum pendulum depressa lingua facile in conspectum veniunt. Excretio iis inflammatis est frequens, mucosa, viscida; respiratio incommoda, difficilis, per nares nulla vel parva; dolor in aurem per tubam Eustachianam protensus.

Quandoque plures harum partium simul adfectæ sunt.

Sollicite monet van Swieten: quod ubi muscoli veli palatini, & uvulæ &c. inflammati sunt, sæpe non videatur rubedo, dum partem inspicimus; quia obducitur materia alba. Hinc cavendum: ne forte gravis hæc inflammatoria pro pituitosa habeatur.

Occurrit sæpe tumor palati, dum dentes superioris maxillæ cariosi, vel, radicibus suis alveolos pertundentes, membranam palatum osseum investientem irritant, & inflammant.

Parotides, & reliquæ salivales glandule tumentes frequentem satis anginae causam faciunt.

Prognosis est diversa ob vehementiam mali, locum adfectum, conditionem ægri, & constitutionem epidemicam.

Si inflammatio satis levis, humores blandi &c. benigna resolutio speranda est.

Solvitur & critice per hæmorrhagiam, alvum, metastasin &c.

Ceterum, ut omnes inflammationes, in suppurationem, gangrænam, & scirrhum abit.

Ex inflammatione pharyngis ob defectum alimentorum humores acriores fiunt, febris incenditur; sed major est morbi duratio ante illatam mortem.

Summum discrimen ex larynge inflammato adest: ne a tumore subito suffocetur æger. Periculum magis augetur, quo propinquius malum glottidi est.

Asperæ arteriæ inflammatio subito homines e medio tollit, quod Sydenhamus paucis nonnunquam horis fieri monet. Rariores tamen sunt funestissimæ hæc anginæ.

Inflammatio linguæ, maxime circa ejus radicem, nonnunquam suffocationem minuitur.

Ab uvula, tonsilla &c. inflammatis, nisi forte pessime tractentur, vix lethalitas timenda est; cum extrorsum adtolli possint
tonsillæ

tonfillæ , & verfus oris cavum prominulæ inveniantur. Hinc minus periculum eft, vt vicina laryngis apertura ab his tumcribus obturetur.

Quo plures partes fimul inflammatae , eo majus periculum.

Nonnunquam resolutione , aut fuppuratione in una tonsilla facta, altera inflammatur.

Peffimam prognofin faciunt in angina, dum , impedito reditu cruoris in jugulares externas, tumor ingens vultus, oculi prominentes, fensus hebetes, & ftertor observantur.

Funestiffima eft angina , quæ nec in faucibus, nec in cervice quidquam conspicuum exhibet.

Lethalis quoque, quæ per epigenefin ex aliis morbis inflammatoriis, vel acuta oritur. Angina enim venæ fectionem, & purgantia copiofa requirit, quæ æger, a prægreffis morbis debilior ferre nequit.

Bonum contra fignum eft, fi collum, & pectus rubeant; quia notat bona metaftafi

materiam inflammatoriam ad exteriora transire.

Remedia requiruntur ea, quæ humorum motum, & copiam minuunt, atque a superioribus derivant.

Hinc venæ sectio audax, larga requiritur, recrudescente malo subito repetenda. Præstat enim, monente iterum van Swieten: ut exhaustus sanguine langueat aliquamdiu æger, quam ut miserrime suffocetur.

Multi commendant sectionem venarum raninarum; sed monet Huxham (a): quod venæ sub lingua non satis sanguinis fundant in vehementi angina. Ideo e brachio prius debitam quantitatem sanguinis mittendam vult.

Et Illustr. van Swieten sectionem venarum raninarum dissuadet: cum iis apertis augeatur sanguinis celeritas per arterias his venis respondentes, quæ externæ carotidis rami sunt. Hinc videtur augeri debere sanguinis motus per truncum carotidis externæ, & omnes ejus ramos, maxime per illos,
qui

(a) Oper. Physic. Medic. Tom. I. pag. 212.

qui in venas apertas evacuantur. Cum ergo in gravissimis anginis minimum tumoris inflammatorii augmentum sæpe sit lethale, periculum subest, si non prius in locis remotioribus larga venæ sectio instituat.

Monet Expertissimus Brambilla (a): ut venæ raninæ secundum longitudinem incidantur; secus hæmorrhagia vix compescenda oriri potest.

Revellendi scopo pediluvia, & ubi morbus ex hæmorrhoidibus vel menstruis subpressis, infessus super aquam calidam conveniunt.

Partes externæ, ut collum, cervix cataplasmatibus emollientibus (N. 5.) perpetuo involvendæ.

In casu graviore leviter irritantia, ut semen sinapi, ad dictas partes in usum vocari possunt.

Pringle (b) externe oleum cum spiritu cornu cervi panno laneo adplicandum vult.

C 3

Ubi

(a) Chirurgisch • praktische Abhandlung von der Phlegmone, und ihren Ausgängen. pag. 111.

(b) Observations on the diseases of the army pag. 142.

Ubi hæc levamen non ferunt, factis depletionibus, ad vesicantia brachiis collo, adponenda, recurrendum.

Commendat & Huxham cucurbitas cruentas ad cervicem.

Vapor infusi florum sambuci, addita modica aceti quantitate, ubi loca inflammata directe adluere valet, multum prodest.

Laudantur gargarismata ex syrupo mororum, decocto hordei cum melle rosaceo, & sale prunellæ.

Præponit vero Pringle decoctum ex ficibus cum aqua, & lacte addito pauco spiritu salis ammoniaci, per quem saliva adtenuatur, & glandulæ ad liberiores secretionem disponuntur. Timet enim, ne emunctoria a gargarismatibus cum acidis factis constringantur

Ubi uvula inflammatorio, vel erysipelatoso tumore tumet, collutio mollis antiphlogistica subadstringens convenit (N.6).

Omnis gargarizatio levis esse debet: ne partes inflammatae ruditer agitentur.

Si continuum, & copiosum tenacis pituitæ stillicidium impediat: ut ore clauso

ægri

ægri hæc continere nequeant ; vel ubi malum profundius hæret : injectiones similium per parvum siphonem sæpius repetendæ sunt, ut partium inflammatarum exsiccatio, & ariditas impediatur.

Secus ab injectionibus per syringam abstinendum : cum nctante Celeberrimo Vogel (a) per ejusmodi stimulum inflammatio exasperetur.

Dum imminuta febre per venæ sectionem, & apta remedia angina non levatur, nec signa suppurationis adsunt : scarificatio amygdalarum instituenda, ut defluente inde sanguine levetur æger.

In casibus desperatis, ubi collum externe tumet, incisio profunda in tumorem a quibusdam laudatur.

Si æger deglutire valet, antiphlogistica, alvum moventia, conveniunt : ut aqua laxativa Dispensatorii Viennensis, serum lactis tamarindinum addito pauco nitro.

(a) De cognosc. & curand. præcipuis corpor. human. adfect. pag. 240.

Pro potu serum lactis, emulsa (N.7.); vel ubi ingens sitis vexat, acida mineralia, admodum diluta conveniunt, præcipue, ubi lingua, uvula &c. inflammantur; nam larynx ejusmodi meraca acida minime perferre valet.

Abstinendum a fortioribus acidis, aut salinis remediis: ne partes adfectæ, aut magis constringantur, aut irritentur.

Omnia potulenta tepide sumenda: ne a frigido potu inflammatio valida in gangrænam mutetur.

Non raro per materiam inflammatoriam, aut per pituitam fauces occupantem, & eas irritantem vomendi conatus, nausea &c. oriuntur. Cavendum tunc ab emeticis; cum & hæc in angina gravi inflammatoria vix locum habeant, etiamsi signa latentis in ventriculo saburræ adessent.

Clysmata in angina inflammatoria necessaria sunt: acriora vero (N. 8.), & sæpius repetenda, ubi æger nihil deglutire valet, partim, ut revulsio fiat, partim, ut corpus depleatur.

In graviore asperæ arteriæ, & laryngis inflammatione ægri suffocantur, nisi bronchotome ferrentur, a qua abstinendum, monente van Swieten, ubi pulsus mollis, debilis, intermittens, inæqualis est, & extrema frigent: ne ab ignaris, & malevolis mors huic operationi imputetur.

Vana est etiam, testante Huxhamo (a), hæc operatio pulmonibus quoque inflammatis: quod ex pectoris obpressione, summa anxietate, perpetua orthopnœa, & suffocante quasi tussicula patet.

Bronchotomia tantum instituenda tumore inflammatorio, vel circa laryngam, vel in parte superiori asperæ arteriæ hærente: ut infra locum adfectum sectio fieri possit.

Cognoscimus sedem mali ex sensu ægri: & licet aliquod circa hanc rem dubium maneret; præstaret tamen, monente sæpius laudato van Swieten, in angina certo lethali anceps experiri remedium, quam nullum.

Aeger in loco parum calidiori post operationem decumbat: ne aër, mox in pulmo-

(a) Tom. I. pag. 209.

nes veniens, frigore suo magis noceat, cum minus calefcatur, ac si per os, & nares transfiret.

i Post bronchotomiam, dum secunda, aut tertia die ob vulnus iterum febris supervenit, gargarismata non conveniunt; quia per concussum asperæ arteriæ gargarizando augetur partium harum inflammatio.

Ut æger, qui deglutire non valet, nutriatur, clysmata injicienda sunt ex illis, quæ vix indigent actione viscerum chylopoëtico- rum: ut ex lacte, vel jure carniùm (N. 9.).

Ultimo paucum nitrum, vel aliquot guttulæ acidi mineralis addendæ ad putredinem præcavendam.

Per similia enemata corpus diutius sustineri posse & experientia & ratio suadet; cum constet non tantum in intestinis tenuibus, sed etiam in crassis vasa reabsorbentia, & lactea dispersa esse.

Enemata quinque, aut sex uncias excedere non debent: ut ægri ea diutius retinere valeant.

Prius intestina crassa clysmate purgante eluenda sunt in eundem scopum.

Si

Si angina nec benigna resolutione, nec critica evacuatione, aut metastasi solvatur; nec inflammatio adeo vehemens fit, ut gangræna sequatur; malum in suppurationem abit.

Noscitur id ex præcedentibus: manet febris cum sensu pulsationis; pulsus fit mollior; rubedo minuitur; dolor est obcurior; tumor mollior cum puncto ut plurimum albo dein adparente.

Dum indicia suppurationis adsunt: vaporibus, collutoriis, cataplasmatibus emollientissimis (N. 5.) strenue pergendum ad suppurationem promovendam, & abscessum disponendum, ut antrosum rumpatur; nam hujus retrorsum versus fauces ruptura periculum facit, ne pus in glottidem labatur cum suffocationis discrimine.

Si abscessus sponte, quod sæpe fit, non rumpatur, pharyngotomo aperiendus est.

Tempus incertum est. Raro perfecta maturatio nonam diem excurrit; nonnunquam vero quinta, sexta die, & citius, ob suffocationis metum, aperiendus.

Rum-

Rumpitur ut plurimum in os internum: nonnunquam, sed rarius, ut in tonsillis suppuratis, extrorsum in collo sic protuberat, ut ibi pertundi possit.

Quandoque abscessus non in parte validissime inflammata, sed in loco latente formatur: quod ex inquietudine; dolore faucium; horriptionibus, caloribus vagis; pulsu molliori, nonnunquam inæquali; sapore, & odore ingrato noscitur.

Cogimur quandoque in angina suppuratoria, monente Illustr. van Swieten, instituere venæ sectionem, licet signa doceant abscessum jam formari: ne a tumore adfectarum partium tempore maturationis aucto, partes vicinas comprimendo, nova fiat inflammatio. Hinc corpus exhaurire cogimur: ut omnia vasa inanita collabantur, & sic suffocatio impediatur.

Si suppuratio fiat, & ob magnum tumorem metus suffocationis sit, bronchotomia quoque instituenda.

Abscessu aperto, continuanda adhuc gangarismata, foci emollientes: ut constanti

stanti suppuratione totum, quod resolvi non potest, consummatur.

Ad finem, ubi deglutitio, & respiratio libera, febris abest, gargarismata (N. 10.) ex foliis rosarum rubrarum &c. conveniunt.

Nonnunquam pessima metastasis ad pectus fit.

Illustris van Swieten notat: quod nullus forte morbus inflammatorius ita volubilis sit, ac angina inflammatoria; dum subito evanescente dolore faucium stertor in pectore oritur, comitante quandoque dolore punctorio lateris respirationem impediende, quandoque absente omni dolore. Plurimi perierunt ex illis, quos tractavit, tertio, quarto, vel quinto die: licet adhibitis subito efficacissimis remediis. Pauci evaserunt, & non nisi cum multa molestia.

Pectori, & collo talia adplicanda sunt, quæ five irritando acris stimulis, five minuendo atmosphæræ pressionem, impetum, & copiam humorum versus exteriora derivant.

In talibus metastasibus mihi rarissime occurrentibus emplastro vesicatorio parti
æqua.

æquali emplastri meliloti juncto universum fere pectus involvebam, decoctum (N. 9.) ex radice graminis, althææ, floribus sambuci cum oxymelle scillitico, & simplici edulcoratum largiter exhibebam

Stertore præsentē, levem kermes mineralis dosin (N. 12.) sæpius repetitam, & pulsu parvo non duro, paucum camphoræ (N. 13.) propinabam.

Ubi in angina inflammatoria dolor maximus, febris acutissima, neque, inter duos, aut tres dies, aut signa resolutionis, aut metastasis adparent, deglutitio vero, & respiratio facilior fit, cum facie cadaverosa; frigore partium extremarum; pulsu parvo, debili, inæquali; fœtore ingente oris, gangrænam vix medelam capiens sequitur.

Manibus accessu dato partes adfectæ scarificandæ. Gargarizatio ex ruta, scordio, cum melle rosarum (N. 14.), & paucō spiritu salis; clysmata ex cortice peruviano (N. 15.) conveniunt.

Qui sæpius angina laborant, caveant a frigido aëre; collum, maxime noctu, tegant; ea, quæ humorum motum augent, &

ad fauces determinant, evitent, ut spirituo-
sa, vociferationem, cantum &c.

Prophylactice hisce profunt gangaris-
mata frigidiuscula ex falvia, foliis rosarum
rubrarum cum paucō liquore anodyno mi-
nerali (N. 16.) .

Angina scirrhusa.

Glandulæ partes respirationis, & degluti-
tionis obsidentes, tumidæ, duræ, &
indolentes scirrhosam anginam faciunt.

In malo recente frictions, aceti vapor,
& emplastra laudantur.

His non proficientibus Boërhaavius
commendat earum extirpationem, aut cor-
rosionem cum prudentia factam.

Van Swieten extirpationem cultro
perficiendam vult; cum rodentia, & caute-
ria, nisi simul & semel destruere possint to-
tum scirrhum, periculosa sint.

Ubi extirpatio fieri nequit, cauteria
tumoribus adplicata fuerunt magno quidem
cum discrimine, non tamen semper funesto
cum successu.

Mitiora tentanda: ut oleum tartari per deliquium; spiritus falis marini dilutus, cum hic putredini efficacissime resistat, & adeo facile irritabilis ipsius cancri malignitas spiritum falis marini dilutum ferre videatur.

Hæc rodentia penicillo ex linteo carpto excepta per cannulam cavam ad locum adfectum deducuntur: ne vicinæ partes lædantur.

Hoc factò mollissimis decoctis continuo ore detentis, escharæ molliendæ, illisque deciduis rodentia denuo adplicanda. Sic alternatim pergendum, donec tollatur penitus tumor scirrhusus.

Post singulas rodentium adplicationes attente lustrandus locus, an in cancrum degenerare incipiat: tunc enim ab iis abstinendum esse prudentia suadet.

Raro sectio sola sufficit; sed requiritur post eandem inustio cauterio: ut Ruyschius se experientia didicisse testatur.

Incurabilis angina est: ubi œsophagus, aut in propria substantia scirrhusus factus, vel a tumoribus scirrhosis vicinis sensim angustatur, & dein integre clauditur.

Prima

Prima hujus morbi signa sunt : quod solidi cibi cum difficultate quadam deglutiantur ; ægri leve quoddam obstaculum sentiant in œsophago ; deglutita paulisper morantur , antequam in stomachum delabantur. Malo provectiori nil deglutire valent ; deglutienda quandoque in œsophago ante obstaculum dilatato hærent , & cum mucositate oris , faucium , evomuntur.

Credit Illustr. van Swieten malum hoc a spirituum fermentatorum ingurgitatione , a fervidorum porum sorbillatione oriri posse , dum liquida coagulantur , & solida corrugantur. Addit tamen : frequenter hunc morbum observatum fuisse , licet accurato examine nihil potuerit detegi , cui ejus origo tribui cum quadam verosimilitudine posset.

Varia idem Illustris Auctor adhibuit remedia , sed incassum : ut saponis penetrabilissimos ; emollientia ; hydragoga fortissima ; inunctiones mercuriales , emplastra ex gummi ferulaceis una cum mercurio , imo ipsam salivationem.

Tentari potest extractum cicutæ, gargarismata ex infuso ejusdem, ubi partem affectam adluere valent. Vidi enim, & viderunt mecum alii, usu hujus remedii, quod a veteribus jam solvendi scopo externe applicabatur, tumores scirrhosos fusos, & sanatos.

In initio mali utiles forte forent hæc pilulæ:

- ℞ gumm. ammoniac. unc. ℞.
 extract. cicut. dr. j℞.
 kerm. mineral. gr. x.
 M. exactissime & f. l. a. pil. gr. iij.
 sumat ter de die quinque superbibendo
 vasculum infusi cicutæ.

Corpus nonnunquam terra foliata tartari, & similibus purgandum; sed

Interdum docta plus valet arte malum.

Sunt & aliæ anginæ species, quæ licet ad inflammatorias non pertineant: tamen hoc loco pauca de iis notabo.

Angina paralytodea.

Elápso anno civem habui, cui post vertiginem prægressam mansit oculus sinister turbidus admodum, palpebra ejusdem lateris difficilius elevabatur, & æger quamdam in deglutiendo difficultatem sensit. Nihil in faucibus conspiciebatur. Metuebam subito paralytim œsophagi. Infausta prognosis brevi confirmabatur; dum deglutitio post binas a principio morbi horas aboliebatur.

Omnia & a me, & ab aliis præstantissimis Medicis, in consilium vocatis, frustra exhibebantur: & æger febre, & deliriis levioribus accedentibus, miserrime periit.

In simili angina suasit olim Willisius: ut virgula, e pinna cetacea parata, in summitate spongiam adfixam habens, œsophago immitteretur statim post cibum, & potum adsumptum, ut via fiat, qua in ventriculum descendere possent. Hac methodo ægrum per sexdecim annos sic pabulum quotidie sumentem conservavit adhuc viventem, dum hæc scriberet.

Post febres continuas, & intermittentes longiores, evacuationibus justo copiosioribus institutis, angina nascitur cum pallore, siccitate, & tenuitate faucium, facie hippocratica, nervos & musculos resolutos notans, hinc mortem præfagiens.

Replentia, corroborantia indicantur; sed raro proficua, dum ægri vix quidquam deglutire valent.

Injici possunt clysmata nutrientia, roborantia, interpositis nonnunquam enematis ex decocto corticis peruviani.

℞ Cortic. peruvian. unc. jβ.

coq. per $\frac{1}{2}$ horam in ℥ ij juris carniū.
Colatur. add.

Nitr. pur. scrup. j.

Injiciantur ano omni bihor. unc. jv.

In angina paralytodea a nimia venere nucem indicam, & nuces juglandes conditas cum syrupo cinnamomi utiliter quandoque adhibuit amicus optimus Josephus Baader, anterioris Austriæ Protomedicus, & Facultatis Medicæ Friburgensis Director.

Angina putrida.

Occurrebat mihi, licet rarius, angina putrida, qualem Huxhamus describit.

Similis Viennam olim devastasse videtur, & licet ab hac dira lue nos immunes clementia supremi Numinis futuros sperem; describam tamen eandem brevissime: ut si forte occurreret, subito justa ejus haberetur idea. Pessimæ enim illæ febres putridæ, quæ hoc & elapso grassabantur anno, non raro deglutitione difficili adgrediebantur, anginam mentiebantur, quæ vomitoriis neglectis, sed venæ sectionibus largioribus ab imperitis tractata, plurimos e medio tollebat.

Anginam putrido malignam, cujus accuratam ideam indefessus morborum epidemicorum observator Huxhamus nobis exhibet, præcedebat æstas humida, frigida, sæpius procellosa: & licet Junio, Julio, Augusto fervidi admodum observarentur dies; atmosphæra tamen gravis, & humida erat.

His mensibus nullæ grassabantur epidemiæ: dein morbus sequebatur dirissimus,

qui incipiebat cum rigore ; immobilitate colli ; horrore , & æstu alternantibus ; dolore capitis ; plerumque cum faucium raucitate , & ægritudine ; ingenti præcordiorum obpressione ; vomitu frequenti ; alvi dejectionibus ; pulsu quandoque celeri , parvo , & tremulo , quandoque tardo , & repente ; urina pallida , tenui , & cruda , nonnunquam profunde tineta , turbida fero simili.

Morbus , qui inter Jiu levis adparebat , noctu admodum increfcebat ; tonsillæ , parotides , & glandulæ maxillares inflammatae intumescebant ; fauces floridissime rubentes maculis albidis , cineris , hinc illinc dispersis obsidebantur ; crusta ulcerum nonnunquam satis valide partes exedebat.

Cutis calida , sicca , & aspera ; rarissima in sudorem proclivitas.

Ulcerum crustæ colorem induebant obscuriorem , & partes vicinæ in lividum vergebant , respiratio reddebatur difficilior . Accedebat stertor , vox rauca , similis illi , quæ a venereis ulceribus in faucibus oritur . Aegri circa quartum , aut quintum diem magnam copiam purulenti muci , nonnunquam sanguine

guine tincti, quandoque materiam profus lividam exscreabant. Nonnullis ex naribus valde inflammatis & excoriatis continuo destillabat materia faniosa omnia corrodens. Hujus ex ore, & naribus effluxus subitanea subpressio plures jugulabat infantes.

A materia hac deglutita anus, Inares, intestina, excoriabantur; vehementia tormina & diarrhoea sequebantur: ab ipsa hac acrimateria trachea corrodebatur, & membranæ ejus internæ frusta, cum plurimo sanguine, & corrupta materia exspuebantur: & ægroti per insigne tempus languescentes tabidi; aut a materia illa, subito ad pulmones delata, peripneumonicis similes moriebantur. Eruptiones cutaneæ insignes adparebant coloris coccinei: sæpius pustulæ valde eminebant; sæpius parvæ erant, melius tactu, quam visu percipiendæ. Quibusdam ab eruptione anxietas, vomitus &c. minuebantur, maxime, ubi cita & mitis eruptio, & ubi copiosior cutis desquamatio. Ubi vero exanthemata obscurum, aut lividum colorem induebant, aut subito recedebant; urina limpida reddebatur; convulsionones, œdematofus

tosus corporis tumor; inflatio colli cum facie cadaverosa; singultus accedebant: mors præ foribus erat. Summus morbi gradus quinto, aut sexto die, tardior adultioribus; crisis vix ante undecimum, aut duodecimum diem, & tunc fatis imperfecta.

Adultiores nonnulli secunda, aut tertia die moriebantur phrenitici, comatosi, peripneumonici, materia ad encephalon, vel pulmones delata. Nonnulli a tussi laboriosa hæmoptoici, hectici, per varias hebdomadas languescentes, moriebantur.

Moderatus sudor tertia, aut quarta die accidens; mutatio pulsus in firmum, & æqualem; crustæ faucium mitiori ratione secedentes, fundo earum florido & puro adparente; respiratio lentior & liberior; oculis restitutus vigor, faustam formabant prognosin, & morbus sudore continuato, urina turbida, subsidente, farinosa judicabatur cum expectoratione copiosa, & larga cutis desquamatione.

Testante Huxhamo in angina maligna venæ sectio non juvat: imo, ubi pulsus plenus quidem, sed repens, tardus, & inæqualis,

lis, magna spirituum, & virium prostratio, perpetua anxietas, præcordiorum obpressio; torvi, languentes, & quasi lachrymantes oculi, morbum lethalem facit.

Plethoricis tamen, & ubi summa difficultas spirandi erat, in morbi principio parva profuit venæ sectio; nocebat largior, maxime, ubi cruor non cohærebat.

Licet sanguis primo emissus tenui, albida, aut plumbei coloris satis tenaci cute tegebatur; reliquus tamen sub hac cruor viridescens, & molle quasi gelatinæ genus constituebat cum crasso nigro crassamento vix ullo modo cohærente.

Hinc patet: quam graviter errent illi, qui ob solam adparentem in sanguine crustam venæ sectionem, aut largiorem instituunt, aut eam repetunt.

In febre epidemica putrida, duobus annis pessime in Austria grassante, nonnulli ob ingentes capitis dolores pulsu nec pleniore nec fortiori phlebotomiam imperabant; sed inde nullum levamen tecum fuit: imo sanguine plus justo educto, subsultus tendinum, deliria, & convulsiones brevi accedebant.

Curam incipiebat Huxhamus, ubi alvus adstricta, clysmate cum lacte, saccharo, & sale.

Ubi dejectiones crebriores, pauca grana rhabarbari tostii cum speciebus e scordio, decocto albo: & si diarrhœa erat profusior, decoctum Fracastorii Fulleri, ad cochlear unum, aut alterum exhibitum, summe laudat Huxhamus.

Vomitus &c. præcipue in adultis lene emeticum poscebat: inde faucium dolor minuebatur.

Infantibus cum oxymelle scillicico, essentia antimonii &c. emesin excitavit: alias magna tenacis mucii copia illos profus suffocabat.

Mox mixturam ex sale absinthii, sale volatili cornu cervi cum succo limoniorum, aqua alexiteria simplici præscripsit, miscebat pulverem contrajervæ cum parva myrrhæ, & croci quantitate. Ubi febris insigniter crescebat, aliquot nitri grana adultis unum aut alterum granum camphoræ addebat, si ferebant.

Secundo,

Secundo, aut tertio die præter priora tincturam corticis suam alexipharmacam propinabat, quam substantiæ præponit; cum magis exanthematum eruptionem promoveat, & multo minus sudoris exortum impediat: qui ubi moderatus, & æqualiter diffusus tertio, quarto, quinto die, vel & tardius accedens criticus erat, quod urina antea tenuis, limpida, jam in concoctam cum largo sedimento argillaceo vel pallide lateritio mutata, notabat.

Promovebat hunc sudorem decocto hordei, avenæ &c. sudor in ipsis & infantibus valde olebat, & fœtidus erat.

Adultis vitrioli elixirium, aut tincturam corticis peruviani exhibuit, quod gratum antiputredinosum & alexipharmacum est, constans infuso ex malis aurantiis Hispaniensibus tostis, vino rubro clarificato, & aqua parato.

Gargarismata crebra ex decocto ficuum, florum rosarum rubrarum utilia erant.

Myrrham, mel in vino austero; mucilaginem seminum cydoniorum cum syrupo rubi idæi, paucum tincturæ myrrhæ per se,
&

& spiritum vitrioli interdum cochleatim sumebant ægri, imprimis post gargarisma applicatum.

Magnum & promptum levamen ferebat vapor ex floribus rosarum rubrarum, camomillæ, myrrha, & camphora aceto coctis, spiritu adtractis.

Tumoribus colli, parotidum, cataplasmata acria, & vesicatoria applicabantur; abdomini tumido, & tenso, ubi urina subprimebatur, fomenta ex emollientibus, & carminativis, in lacte, & aqua coctis, cum sale & saccharo adhibebat: alvum adstrictam rhabarbaro, vel electuario lenitivo purgabat; signis coctionis prægressis corticem in substantia propinavit; abstinuit vero, ubi abdomen valde tumidum, constipatum erat. Præfert decoctum corticis, quod multo minorem pectoris obpressionem faciat.

Licet in initio morbi non convenissent purgantia, ad finem tamen lenia cathartica necessaria erant: ut putrida colluvies ex intestinis evacuetur, ex qua febris protrahitur, appetitus prosternitur, abdomen tumidum

dum fit, & insignes glandularum obstructions sequuntur.

Ante mortem hæmorrhagiæ, fætor cadaverosus, & totum corpus livore cadaveroso insigniter intumuit. . Credit Huxhamus (a): hoc a majori dependere aëris copia in sanguine ab intestino motu, calore, & putredine exorta.

Notat & Tissot anginam epidemicam plus de putrido, quam inflammatorio participantem, in qua vomitoria laudat, & venæ sectiones damnat, nisi inflammatorii quid junctum sit.

Confirmantur his ea, quæ in methodo medendarum febrium notavi (b).

Nempe occurrere febres putridas cum diathesi phlogistica: in his venæ sectionem parciolem tamen, ac in febre inflammatoria convenire; sanguinis missionem vero nocere in putrida sine statu inflammatorio.

Patet & ex his summa vomitoriorum necessitas, ubi putridum in ventriculo hæret (c). Monui

(a) Tom. III. pag. 122.

(b) Pag. 42.

(c) Pag. 43.

Monui quoque extractum aut decoctum corticis non raro præferendum esse substantiæ ejusdem (a).

Confirmatur quoque exanthemata nonnunquam critica esse (b): dum cessantibus, vel saltem plurimum imminutis symptomatibus fiunt: hinc & stimulantibus, ut camphoræ, serpentariæ quandoque locum esse.

Damnat quidem Huxhamus salium volatilium alcalinorum usum, & credit inde oleum camino addi. Observavi tamen (c) summam eorum utilitatem; ubi pulsus tremulus, inæqualis, intermittens, & mollis erat.

Spiritus cornù cervi efficaciam in febre - putrido 'maligna jam longe ante Anglos Medici nostri in Styria observarunt (d).

Angina

(a) Pag. 23.

(b) Pag. 87.

(c) Pag. 55.

(d) Ephemerid. natur. curiosor. Ana. I. Decur. III.
Anno 1694.

Angina aquosa.

Angina aquosa vel œdematosa est: dum a tumore albo, aquoso, frigido, absque inflammationis comitantis signis deglutitio, vel respiratio impeditur.

Leucophlegmatici, pallidi, debiles hac anginæ specie corripuntur. Uvula tunc plerumque elongata pellucida fere, & non raro tonsillæ aggesto humore aquoso turgent.

Dolor magnus non observatur, nisi forte a distractione partium per hos tumores facta.

Agitur enim hic tantum de lymphaticis tumoribus, qui in cavis naturalibus faucium ab aggestione, & accumulatione liquidi dilatatis hærent.

Tales in tunica cellulosa musculos horumque fibras investiente, atque in folliculis secretoriis fieri possunt.

Omnia, quæ exitum lymphæ liberum impediunt, anginam hanc inducere valent: ut compressio venarum ab atheromate, steatomate, & similibus tumoribus.

Obstru.

Obstructio nata in ipso folliculo glandulæ per pituitam, calculum, gypseam materiem; frigus subito admissum anginam similem generare potest, dum meatibus excretoriis a frigore constrictis per vasa adferentia tutius recondita liquidum adducitur.

Sed & sola nimis debilis humorum circumactio, ut in chloroticis anginæ hujus causa est.

Minus discrimen ab aquosa, quam ab inflammatoria angina. Prognosis tamen difert ratione causæ, & loci adfecti.

Facilior enim cura, ubi a pituita obstructa emissaria sunt, quam a calculo: & majus periculum, si tales tumores circa laryngem hæreant, quam si pharyngem, aut tonsillas occupent.

Cura varia est. Cavendum: ne uvula inflammata pro relaxata habeatur, & alumine aut vitriolo tangatur.

Nimum elongata linguæ incumbens polline piperis inspergi potest, aut adstringentia gargarismata adhibenda sunt. His nihil proficientibus amputanda est, & hæ-

mor-

morrhagia si fiat stiptico mediante spatula admoto sistenda.

Popularis enim cura per suspensionem corporis, elevato capite ægri, non abs periculo est, notante clarissimo Zacharia Vogel (a).

Ubi suffocationis metus, causticis, aut melius scalpello humoribus aquosis congestis via concilianda.

Antea autem talia tentanda, quæ aquosam colluviem de corpore dissipant: ut calor lecti, medicamenta aromatica, sudorifera (N. 17.) ex saffra, lignis fantalis, aristochia &c.; diuretica ex junipero, millepedibus, scilla (N. 18.); fortiora purgantia (N. 19.) ex jalappa, scammonio, ut corpus subito depleatur, sic bibulæ venæ cito sæpe resorbent effusam in cavis lympham depletis vasis majoribus

Commendantur quoque ea, quæ a locis adfectis lympham derivant: talia sunt vesicantia collo, nuchæ, pone aures adplicata; apophlegmatizanta ex mastiche, cera, radice pyretri, pipere, zingibere (N. 20.).

E

lis,

(a) Beobachtungen XXXI. pag. 213.

lis, qui sæpius angina tali laborarunt, proderit fumus tabaci, & aqua vitæ ore voluta.

Cavendum dein victu exsiccante, calefaciente, motu corporis: ne malum jam fugatum redeat.

Ubi debilior humorum circumactio anginam aquosam facit, ea conveniunt, quæ circulum eorum augment, magis tamen prophylactice, quam ad curam morbi præsentis, & simul talia, quæ viscidum incidunt, & adtenuant: ut pilulæ ex gummi ammoniaci, extracto martis, extracto enulæ (N. 21.). Quibus vinosæ arident, vinum medicatum ex cortice peruviano, limatura martis &c. propinandum (N. 22.).

Motus, frictions commendandæ.

Otium, aquosa, pingua, legumina, farinosa evitanda.

C A P U T IV.

D E

Pleuritide.

Dolor punctorius ad inspirationem auctus cum calore, siti, tussi, pulsu duro & celeri pleuritis dicitur: licet non raro pulsus parvus, & mollis tangatur, dum ob acerbitatem doloris in morbo vehementiori vix inspirare audent ægri.

Horror, & lassitudo quandoque per unum aut alterum diem pleuritidem præcedunt.

Vix æstate occurrit, frequentius hyeme, frequentissime vere.

Crebrior est adultis, rarior senibus, rarissima infantibus.

Subjectis densis, gracilibus, fanguineis, exercitatis familiarior.

Testante Trillero rarius feminæ inde corripuntur, sed pejus adficiuntur, ac viri.

Pleuritis vernalis sæpius epidemica est,

in regionibus montanis, frigidis, aquiloni magis expositis endemica.

Dividitur in idiopathicam, quæ mōx thoracem adgreditur, & sympathicam, quæ ex aliis morbis, ut arthritide &c. oritur.

Distinguitur in humidam, quæ cum spu-
tis, & siccam, quæ absque iis occurrit.

Alia pleuram, huicque adnexam cellulofam telam potius occupat; alia partes integumentis viciniore, v. g. musculos intercostales, & tunicam adiposam magis adficit: illam internam veram, hanc externam spuriam vocant.

In hac ultima symptomata mitiora sunt; & pulsus minus durus, ac tensus deprehenditur; dolor quoque ab adtactu, & decubitu in locum adfectum augetur; & non raro in parte dolente tumor cum rubore conspicitur.

De sede mali disputant auctores.

Multi viri celeberrimi pleuram indolentem credunt: hinc morbum, quem pleuritem nominamus, non in ea, sed in pulmonibus locum habere existimant.

Idem jam elapso sæculo 1646. Joannes Manelphus in decertatione de parte adfecta pleuritidis docuit.

Verosimilis est sententia : quod pleuritis oriatur quandoque a pleura, tunica pinguedinosa ipsi contigua, & musculis incumbentibus ; sæpe a sola externa pulmonum superficie ; sæpius ab omnibus his simul inflammatis.

Nam sectiones cadaverum nunc solam pleuram inflammatam, suppuratam, & sphacelo corruptam ; nunc solos musculos intercostales ; nunc has partes omnes simul inflammatas exhibuerunt (a).

Ipsè Celeberrimus Morgagnius, qui pleuram inflammatam sine dolore, aut sine dolore pungente esse docet, casum juvenis refert, qui in vita pectoris dolore laborans post mortem levem inflammationem pleuræ exhibuit.

Illustris Hallerus animadvertit (b) :

E 3

quod

(a) Monro Account of the diseases in the British military hospitals. p. 123.

(b) Phisiol. maj. Tom. III. pag. 170.

quod pulmones nec multos, nec magnos nervos habeant: quod in vivis animalibus in frustra discerpi possint, absque quod se multum moveant: & quod magnæ suppurationes pulmonum sine febre, & doloribus observatæ fuerint.

Neque nimis sollicitum de loco esse oportet, cum cura eadem sit, & ii, qui sedem pleuritidis in pulmone statuunt, dolorem vehementem non ab interna eorum substantia, sed ab extima membrana inflammata, quæ continuatio pleuræ est, derivent.

Certe sæpe & pulmo, & pleura simul inflammantur, atque tunc morbus pleuro-peripneumonia audit.

Notavit Huxham (a): quod longe frequentius, quam vulgo putatur, invadant una, aut invalescenti pleuritidi peripneumonia quoque accedat.

Causæ pleuritidis sunt ea omnia, quæ inflammationem producere, & ad has partes determinare valent: ut vasa rigida, humores densi; aër frigidus æstuanti corpori
ad-

(a) Tom. I. pag. 89.

admissus, transpiratio impedita; spirituosorum abusus; hæmorrhagiæ subpressæ; potus glaciatus, cum sanguis inde densetur, & œsophagus in suo decursu truncis intercostalium arteriarum quarundam satis propinquus sit.

Nonnulli, qui aliquoties pleuritide laborarunt, ob leviores etiam causas crebro iterum hoc morbo corripiuntur. In similia cadaveribus vasa intercostalia angustiora, quandoque vena azygos mox sub aortâ sita erat; hinc forte ab hac nimis comprimebatur.

Diagnos. morbi, ut monui, habetur ex dolore punctorio in inspiratione aucto cum tussi, pulsu duro & celeri.

Dolor ut plurimum latera occupat, nunquam ad dorsum, & scapulas pertingit.

Baglivius pleuritidum occultarum meminit, quas sequenti methodo magno ægroantium commodo detexit.

Jussit eos in dextrum vel sinistrum latus decumbere, decumbentibus imperabat, ut fortiter inspirent, & tussiant, tuncque petebat ab illis, an dolorem, aut gravedinem

perferant : quod si adfirmarent, res manifesta erat.

Notandum, quod obesis mollior, & senibus durior pulsus fit.

Neceffe quoque, ut arteria utriusque manus exploretur. Sic celeberrimus Zimmermannus minuti spatio in parte dextra quinquaginta quinque, in sinistra nonaginta duos ictus observavit. Pulsus lateris dextri admodum debilis, sinistri fortis erat (a).

Observavit Celeberrimus Pringle (b) : quod in hysteriis & hypochondriacis ab extensione intestini coli per flatus aut excrementa dolor oriatur potissimum a pectore dorsum, vel ab una alteram petens partem, respirationem impediens, cum tussi crebra, & parva. Absit tamen crusta lardacea, & pulsus durities.

Commendat similibus laxantia carminativa, fomenta, & vesicantia. Pessime vero venæ sectionem administrari monet.

Prognosis est diversa ratione subjecti, sexus, ætatis, symptomatum.

Quo

(a) Von der Erfahr. in der Arzneykunst Erst. Th. p. 357.

(b) Pag. 161.

Quo plura loca inflammantur, eo periculofior morbus.

Pleuritis recidiva vix curanda.

Ex abufu vini, & fpirituum fermentatorum nata sæpe jam tertio, aut quarto die lethalis obfervata fuit.

In gravidis majus difcrimen, tum quia ægrius venæ fectionem ferunt, tum quia iis diaphragma minus descendit, hinc pectus magis dilatare debent. Non tamen absolute lethalis eft, ut Hippocrates pronunciavit.

Trillerus obfervavit finiftri lateris pleuritidem rariorem effe, fed diuturniorem, & graviorem.

Difficilius ut plurimum fanatur ficca, ac humida.

Pleuritis ut reliqui morbi graves aut in fanitatem, aut in morbum alium, aut in mortem abit.

Si humores blandi, inflammatio non admodum magna, morbus recens: benigna refolutione folvitur.

Evacuationes criticæ per fputa, alvum, hæmorrhagiam narium fiunt. Urina cum fedimento potius crifin comitatur.

Oportet, ut hæmorrhagia narium intra primum & quintum diem accidat. Senior, licet utilis sit, morbum protrahit.

Hæmorrhoides vix criticæ sunt, nisi ab iis subpressis pleuritis oriatur.

Dolor humeri, scapulæ, cum levamine manifesto doloris pleuritici morbum critiche solvi notat. Certe nullum, & gravissime decumbentem, cui id accidebat, obiisse vidi.

Miliaria moderato regimine prodeuntia morbum quidem levant, crîsn vero, ut Alonius voluit, non absolvunt, nisi in pleuritide catarrhosa.

Si inflammatio non admodum valida ut gangræna sequatur; vehementior tamen, ut aut benigna resolutione, aut critica evacuatione tollatur: in suppurationem abit, cujus signa & diversi exitus in sequentibus dicentur.

Morte terminatur pleuritis, dum aut ægri suffocantur, cum ob doloris acerbitatem vix respirent; vel gangræna supervenit, quæ metuenda, ubi dolor subito cessat, spirandi tamen difficultas, & pectoris obpressio adhuc continuat, vel increfcit.

Non-

Nonnunquam vehemens gangræna inducitur , dum plebs flatus supponens spirituoſa exhibet.

Pulfus debiliffimus ; respiratio frigida; extremorum frigus , lethalia ſunt. Hippocrates notavit; quod pleuritici pereant, quibus ſtrepitus multus in pectore eſt , facies triſtis , oculi icteritii, ac caliginofi.

Cura a venæ ſeſtione larga ex vulnere amplo inchoanda; cum obſervata doceant, phlebotomiam unicam ad uncias quatuordecim , vel ſexdecim inſtitutam plus efficere, quam crebriores, & parcioreſ.

Conſideranda tamen temperamentum, vires , ætas, conſuetudo, vita prægreſſa &c. vid. meth. medend. febr.

Pleuritis ſymptomatica, ut ex arthritide, vel quæ in febris a calidiori regimine oritur , non adeo largam requirit ſanguinis miſſionem , ut & ca, quæ tempeſtate calida, ac humida occurrit.

Nec catameniorum , aut lochiorum fluxus venæ ſeſtione prohibent : ſi pulſus plenus & durus , respiratio difficilis , dolor in inſpiratione acerbus.

Gravidæ

Gravidæ tamen repetitam magis, quam largam ferunt venæ sectionem.

In validiori pleuritide sanguis ad prima animi deliquii signa mittendus, quæ sunt: pallor in oculis, vultu, sudoris guttulæ in fronte, pulsus languidus. Vitandum autem animi deliquium: ne, monente optime Aretæo, peripneumonia lethalis pleuritidi succedat.

Excipi possunt quædam epidemiæ, in quibus, ut Cleghorn observavit (a), quandoque bono cum successu phlebotomia ad animi deliquium usque celebratur.

Aegri supine jacentes largiorem venæ sectionem facilius sine animi deliquio ferunt, quam sedentes.

Cum ob acerbitem doloris vix inspi-rare audeant, acetum calidum inter sanguinis missionem naribus subponendum, ut invitis etiam tussis excitetur.

Dolor post primam venæ sectionem recrudescens eam repetendam indicat.

Tempus, quo venæ sectio adhuc celebranda, incertum est; quamdiu enim dolor
&

(a) Observations on the diseases in Minorca.
pag. 259.

& febris urgent, neque critica evacuatio vel incipiens suppuratio adest, sanguis mittendus.

Prima efficacior in brachio lateris adfecti observatur, altera in parte opposita, tertia in pede administrari potest.

Non autem ob omnem dolorem sanguis mittendus, ne aut morbi chronici, aut hydrops succedant, vel mors sequatur; cum febris requiratur ad crisin perficiendam, obstruens resolvendum, & extra corpus excernendum.

Multorum animis error infedit crustam lardaceam in sanguine adparentem ejus detractionem poscere; sed huic soli fidendum non est.

Videmus nonnunquam primum sanguinem corio tectum, secundum, tertium, quartum eo carere, quintum iterum crusta densissima obductum esse. Huxhamus in parphrenitide sanguinem corio obductum post centum uncias detractas vidit (a).

Van Swieten merito obscuram pellis hujus originem dicit (h).

Pleu-

(a) Tom. I. pag. 304.

(b) Tom. II. pag. 651.

Pleuritis ut plurimum peior, si crusta inflammatoria absit.

Laudatur frictio partis adfectæ inter sanguinis missionem ; sed hæc in pleuritide spuria plus prodesse videtur, quam in vera.

Venæ sectione instituta pars dolens fovenda pannis laneis solutione ex uncia dimidia saponis veneti cum libra dimidia lactis & aquæ facta imbutis.

Utiliter & cataplasmata ex speciebus emollientibus, & sapone in lacte coctis in usum vocantur.

Male commendantur vesicæ lacte, aut decocto emolliente repletæ, cum ab iis, observante Celeberrimo Baldinger (a), tantum calor siccus, & pondus augeatur.

Cavendum a fomentis, & cataplasmatibus, nimis calidis. Vidit inde Clarissimus Sarcone doloris augmentum (b).

Noctu pars dolens unguento althææ calido iungenda, & dein emplastrum de labdano aut meliloto imponendum.

Ubi

(a) Von den Krankheiten einer Armee. pag. 167.

(b) Geschichte der epidemischen Krankheiten in Neapel. Erst. Theil. pag. 139.

Ubi post sanguinis missiones, & fomenta dolor acerbus continuat, emplastrum vesicatorium æquali portioni meliloti mixtum lateri^o dolenti adplicandum. Pulsu dein insurgente sanguis denuo mittendus.

Alvus segnis clysmate emolliente sollicitanda.

Medicamenta interna indicantur, quæ sine quod motum humorum augeant, solvunt, & naturam disponunt, ut per varias vias crisin instituere valeat.

Efficacissima est mixtura ex nitro, rob sambuci, oxymelle simplici, aqua florum sambuci parata, addito paucō aceto(N.23).

Acida enim in pleuritide minus conveniunt, cum tussis ab iis excitetur

Rob sambuci debet esse sanguineum, sapidum, acidulum, gratum. Verum monente Clarissimo Crantz raro sedulo in officinis paratur, sed nigrum, adustum, & empyreumaticum habetur.

Usui prioris mixturæ & interponi potest decoctum ex radice graminis, althææ, melle edulcoratum (N.24.).

Pro potu convenit decoctum hordei cum melle.

Ridicula sunt absorbentia exempli gratia pulvis pleuriticus Augustanorum, quæ forte spicula pungentia, ut Helmontius credidit, obtundere deberent. Hinc miror, quod Clarissimus Trillerus in absolutissimo de pleuritide tractatu (a) lapides cancerorum præscribat.

Nec in hoc morbo mixturæ Hoffmannianæ locus est, quæ adeo frequenter, & funesto cum effectu in inflammationibus exhibetur, ob rationes in Method. medend. febr. jam adductas.

In pleuritide, & peripneumonia a vi externa arnica interne (N. 25.), & externe (N. 26.) adhiberi potest, quam Berolineses ad dissolutiones, & stagnationes sanguinis extra sua vasa factas resolvendas, discutien-
das, & per diuresin, vel diaphoresin evacuan-
das commendant (a).

Monent

(a) Pag. 409.

(b) Actor. Berolin. Decur. I. volum. I. pag. 58.
ANNO 1722.

Monent, quod ægri post ejus usum se pejus valere conquerantur; sed id pro certo indicio habent existentis alicubi staseos sanguinis his motibus dissolvendi, ac resolvendi.

A leniori dosi hujus remedii incipiendum, ne vomitum in hoc morbo periculosum excitet.

Forte arnica foliis lanceolatis hominibus robustioris naturæ magis convenit, quam illa, quæ folia ovata profert: quia in rupetribus locis succum magis acrem, & minus aquosum trahit.

Clarissimo Gmelin visum est sibiricam plantam aliquanto vehementius effectum edere, quod in Germanis in Sibiria morantibus non raro experientia comprobatum vidit (a).

In initio morbi nonnunquam conatus vomendi notatur; cavendum tamen ab emetico.

Vitanda quoque in acerba pleuritide

F

sunt

(a) Flora Sibirica Tom. II. pag. 153. Petropoli

sunt opiata, quæ Huxham (b) in violentia doloris post sanguinis detractionem commendavit. Non raro enim dolori gangræna succedit, & evigilans e somno æger sæpe subito moritur.

Trillerus monet, quod opiata caput tentent, febrilem æstum augeant, & pectoris purgationem impediunt. Licet Celeberrimus Tralles notet (b), quod versus occidentem confiti Belgæ opium facilius aliis ferant: Illustris tamen van Swieten anodyna fortiora damnat, & solum leviora suadet, ut infusum florum papaveris rhæados. Vult autem: ne adeo magna copia pro dosi sumantur, sed omni media hora unciam tres tepide hauriantur.

Concedi possunt aliquot drachmæ seminum papaveris, si amygdalis in emulsione mixtæ, quod sæpius in consiliis fit, ut anodynum proponantur; cum nulla in his seminibus vis narcotica observetur.

Oc

(b) Tom. II. pag. 228.

(a) De usu opii salubri & noxio Parte I. pag. 285.

Occurrunt in Nosomīs ægri, quorum pulsus jam ex pleno & duro in parvum mutatus est.

Similibus pessime noceret venæ sectio. Celsus movuit sanguinis missionem remedium magni & recentis doloris esse, serum vero auxilium, si vetustior casus.

Vesicantia his fatis fortia ad locum dolentem, dein ad artus adplicanda. Emplastro vesicatorio camphora misceri potest, tam ob stimulum augendum, quam gangrænam præcavendam.

In similibus ægris, præcipue ubi subsultus tendinum, pulsus tremulus, inæqualis, a nitro abstinendum; sed decoctum ex althæa, floribus sambuci cum moderata camphoræ dosi propinandum (N. 13.).

Ut plurimum decem, quindecim grana sufficiebant, raro ad viginti nychthemero ascendendum erat.

Sed & ab hac dosi in numerosissimis, qui hoc anno pleuritide decumbebant, calorem vehementiorem sicciorem, respirationem laboriosiore, ruborem faciei intensiorem, deliria fortiora, & cetera symptomata,

quæ phrenitidis futuræ metum faciebant, cum multis aliis Medicis præsentibus in Nofocomio succedere vidi.

In his a camphora integre abstinendum. Ipsi enim hujus remedii fautores id nocuum declarant, ubi humores nimia tenacitate ad inflammatoriam vergente peccant, aut ubi anxietates sæpius redeunt & plerumque cito disparentes calores sequuntur.

Notavi superius pleuritidem quandoque per sputum judicari

Quod dolores lenit, optimum est.

Bene distinguendum a muco catarrhoso, qui sæpe maxima quantitate sine levamine prodit, cum non evacuet materiem morbosam.

Nonnulli Medici negant crisin in pleura inflammata per sputa fieri, cum non credant viam inde patere. Verum & ii vix explicabunt, quomodo eadem crisis in inflammatione musculorum intercostalium nascatur.

Observatis constat pulmonem contiguos sibi humores imbibere, illosque tussi
reji-

rejicere. Galenus notavit mulfam in thoracis cavum injectam ex pulmone exspui.

Optime animadvertit Clarissimus Selle (a) : quod ubi pleura pulmonibus adnexa est, materies cocta facilius in pulmones rueret possit.

Lancisus non sine ratione arguit, quod cocta materies ex vena sine pari in cavam inde in cor dextrum, dein in pulmonem feratur, & inde per vasa aërea pulmonis viam inveniatur.

Vel, ut verosimilius mihi videtur, quod ex propaginibus venæ azygos in tracheam feratur, maxime cum idem Lancisus observaverit: quod ægri non hauserint sputa cocta ex profundo pectoris, sed monstrarent illum locum, ubi sub sterno vena sine pari in cavam aperitur, creditque sputum per vim musculi triangularis sterni facilius propelli posse.

Contribuere & ad eorum excretionem videtur anastomosis venæ sine pari cum arteriis, & venis bronchialibus.

F 3

Solis

(a) Pag. 118.

Solis sputis fidendum non est.

Sputa cruenta, sincera, venæ sectionem petunt : hæc vero ob ea, sanguine striata, instituta in summum periculum ægrum con- jiceret.

Multi in Nosocomio occurrebant sputa cocta, sed parva quantitate ejicientes, qui- bus tamen ob vehementiam febris, & dolo- ris phlebotomiam ad quinque vel sex uncias summo cum successu institui

Si sputa cum facilitate prodeant, nihil movendum, sed locus est remediis emollien- tibus, leniter solventibus, ut decocto ex ra- dice graminis, althææ, verbasco, melleedul- corato. Decoctum hordei cum oxymelle largiter hauriendum.

Linctus ex oxymelle cum syrupo althææ paratus, per parva cochlearia sumptus, uti- lis est.

Oleosa vix arident, cum in debiliore ventriculo facile rancescentia febrim incen- dant. Celeberrimus Zimmermannus oleum, ubi digestio læsa, ut summe nocuum damnat (a).

Con-

(a) Zwent. Th. pag. 259.

Concedenda forte iis, qui fibra admodum rigida gaudent, neque biliosi quidquam in primis viis habent. Hinc linctus ex oleo amygdalino, vel spermate ceti parari potest (N. 27.).

Sedulo ad sperma ceti attendendum, cum sæpissime rancidum sit.

Si sputa tenacia, uncia una aut altera oxymellis scillitici prioribus decoctis utiliter additur.

Illud vero in principio morbi exhibere minus tutum est, cum tussim augeat, partesque magis irriteret.

Si levamen inde non sufficiens, decoctum ex binis partibus radicis althææ & parte una hyssopi paratum, oxymelle scillitico, syrupo althææ aut hyssopi edulcoratum præcipue in subjectis annosioribus prodest.

Kermes minerale ad granum unum vel duo omni bihorio, trihorio, aut quadrihorio exhibendum, ubi ex usu antea dictorum sputa minus libera.

Vomitus, aut diarrhœa inde sequens, massa pilularum de styrace aut de cynogloss

fo compescendus, ut in cap. de febr. ardent. dictum (a).

Vidi nonnunquam ab imperitis in arte kermes minerale in principio morbi, antequam materies cocta esset, propinari; sed inflammatio, tussis, calor, oppressio pectoris pessime augebantur.

In senibus ubi febris jam mitis, & sputa admodum glutinosa, aliquando majorem effectum observavi a gummi ammoniaco vitello ovi aut aceto scillitico soluto (N.28), quam a kermes minerali.

Continuandus tamen decoctorum prius notatorum usus.

Si sputa in pleuritide subprimantur: ægri pessime anguntur, & suffocationis periculum imminet; quare omni opera studendum est, ut iterum educantur.

Varia auxilia pro ratione causæ, & symptomatum indicantur.

Si ab aëre frigidiori, vel spirituosorum abusu, si nova iterum incendatur febris & pulsus durus ac plenus esset: venæ sectio celebran-

(a) Method. medend. febr. pag. 31.

lebranda. Dein vesicantia iuris adponenda, & decoctum emolliens cum floribus sambuci strenue hauriendum.

Pulsu vero debili inæquali præter decoctum emolliens cum floribus sambuci mox ad vesicantia & camphoram recurrendum; cui ultimæ, si aut sputa glutinosa prodire incipiant, aut levis in pectore strepitus notetur (a lethali illo stertore distinguendus) kermes minerale jungendum (N. 29.).

Dum sputa ex animi pathematibus subpressa, neque magnus calor, aut pulsus incrementum oriatur, præter tepida paregoricum per vices sumendum.

Diarrhœa sputorum excretionem impediens compescenda.

Alvi fluxus, nisi biliosi quidquam simul in primis viis hæreat, in initio pleuritis periculosus est; cum materies morbi nondum cocta sit.

Opportuno accedens tempore aliquando morbum solvit.

Critica talis alvus similis fere est sputis criticis, & relinquenda.

Abstinendum a nitro. Decocto emolliente pergendum, quod syrupo althææ edulcorandum ; cum nonnullis a melle alvus solvatur,

Diarrhœam nimiam pulsus debilis & vires fractæ docent. Hæc bolo armena, gummi arabico, decocto orchidis minuenda, ut in capite de febr. ardent. monui (a).

Urgentē necessitate ad opium, sed cum prudentiâ recurrendum. Alvus enim in pleuritide, monente Huxhamo (b), ita moderanda, ne ab ea adstricta nimis augeatur febris: neque nimis fusa permitti debet, ne vires & spiritus deficient.

Notavi superius urinam copiosam, crassam, stranguriosam, subrubram, cum albo sedimine morbum aut levare aut levaminis signum esse.

Occurrebat tamen mihi quandoque nimium urinæ profluvium, ita ut adsumptum potum longissime superaret. Urina, quæ excernebatur, vix tinctâ erat, sed limpida,
&

(a) Method. Médend. febr. pag. 33.

(b) Tom. II. pag. 225.

& acri summe debilitabantur. Cavebam a nitro, decoctum dabam ex verbasco cum floribus sambuci, rhæados, diacodio edulcoratum. Urgentiori malo vesicantia pedibus & brachio adponebantur.

Ad sputa tenacia & crassa promovenda oxymellis scillitici loco infusum hyssopi cum syrupo ejusdem præscribatur.

In magna debilitate decoctum ex cortice peruviano vel cum verbasco, vel cum hyssopo, pro diversitate sputorum, cum successu exhibebatur.

His non juvantibus opium per epicrasin propinabatur,

Aegri in lecto plumis repletissimo decumbentes super culcitram ponebantur; cavendo tamen frigidioris aëris accessum.

Si in pleuritide tumor ad aures vel crura oriatur: ea adplicanda, quæ de parotidibus in cap. febr. ard. dicta fuerunt (a).

Erant hoc anno multi pleuritici cum parotidibus. Adhibebantur incassum emollientia cum stimulantibus, & irritantibus: tumor enim

(a) Method. Medendar. febr. pag. 30, 31,

enim mole perpetuo augebatur, demum eodem modo tonsillæ adficiabantur, ut vicina comprimendo stertorem, respirationem difficillimam, soporem, & mortem crearent.

Cum successu similibus ad parotides tumentes emplastrum ex quatuor partibus de ammoniaco, & quinta vesicatorii applicabatur imponendo desuper cataplasmata emollientia. Hac methodo tumor successive minuebatur, paucis suppurabatur, plurimis resolvebatur, ac crisis per sputa & sudorem sequebatur, quæ levissima camphoræ & kermes mineralis dosi, decocto ex althæa, & hyssopo cum oxymelle simplici & scillitico edulcorato promovebatur.

Ubi dolor scapulas, aut humerum petit: partes hæ fricandæ sunt, & dein emplastro v. g. de labdano tegendæ.

Quandoque in pleuriticis maxime post venæ sectiones largiores institutas (licet alvus aut sputa critica sint) ægri valde debiles fiunt; pulsus celer & parvus, febris certo tempore increlcens observatur. His vires deficere videntur, ut natura impura a puris separet, & excernat, quare extractum
cor-

corticis ad binas aut tres drachmas nychthemero remediis emollientibus & expectorantibus junctum exhibui, neque unquam inde malum effectum, aut sputa suppressa vidi.

Nec obest corticem peruvianum in inflammationibus non convenire. Experimur quotidie summum hujus remedii effectum in febre ardente, quæ inflammatio vasorum fere totius corporis est, dum per evacuationes sanguinis & remedia diluentia ac adtenuantia indoles ejus phlogistica jam fere dempta est.

A cortice iterum desistendum, ubi vires & pulsus insurgunt.

Constat ex prioribus pleuritidem non raro in suppurationem abire: de qua uberius in Cap. de peripneum.

Suppuratione formata, ubi abscessus pure plenus turget, acerrimus nonnunquam succedit dolor a distractis membranis eum coërcentibus: abstinendum tunc est a venæ sectione, sed omni arte moliendum, ut vomica rumpatur prout in cap. de peripneumon. dicetur.

Pus collectum nonnunquam, licet rarissime absorbetur, & per sputa, alvum, & urinam e corpore eliminatur.

Sic Aretæus observavit per alvum quandoque abscessus a pleuritide natos pus suum evacuare manente plerumque ægro superstite.

In similibus decocta emollientia cum melle continuanda, & dein lac aqua dilutum propinandum

☉ Si febris urgeat cum magna ægri debilitate, decoctum corticis, agrimonix, virgæ aureæ cum lacte propinandum.

Quandoque abscessus ad exteriora nascitur, qui aperiendus. Hinc bonum foret, monente Illustri van Swieten, in gravioris pleuritidis initio locum maxime dolentem emplastro notare, ut abscessu nato via ibi scalpello vel caustico parari possit, cum non semper pars magis elevata observetur.

Sed & cum successu uestio, & sectio tentata fuerunt, licet nullus tumor aut rubor in externis thoracis partibus adessent; cum inde nihil mali metuendum, & multum boni sperari possit.

Rarius

Rarius pus collectum metastasi ad alia loca corporis, ut ad aures, crura fertur.

Ubi dolor vel tumor partis cujusdam observatur, emollientibus & suppurantibus occurrendum est, & per apertum brevi abscessum puri exitus conciliandus; non enim hic requiritur maturatio crudi inflammatorii in bonum pus, vel puri analogæ materies; sed hæc alibi jam facta ad hæc loca tantum deponitur, hinc subito abscessus nascitur, licet cutis nullo modo mutata adpareat.

Locus apertus remediis suppurantibus leviter irritandus, ne statim iterum concreseat, & occasio impediatur repurgationi sanguinis a materia morbosa.

Si in pleuritide valida nec signa criticæ evacuationis aut suppurationis, occurrant, sed dolor minuatur, genæ rubeant, pulsus fiat debilis, sputa ichorosa accedant: gangræna oritur.

Contra hanc laudatur profunda costarum inustio, ut sopita vitalis vis & calor in parte resuscitetur, atque deciduis dein escharis, patula fiat via versus exteriora ichori gangrænosæ.

Alii,

Alii suadent lateri dolenti cucurbitam magnam & latam cum multa flamma applicare, locum scarificare, sale irritare. Altera die iterum cucurbitas applicare.

Interne mixtura (N. 30) ex camphora, extracto corticis, aqua melissæ, infusum ex floribus camomillæ, verbasci tentari possent. Sed malum vix medelam capiet.

Quandoque pleuritis in schirrhum abit, aut pleura ad pulmonem adcrefcit, de quibus in sequentibus.

Post pleuritides sæpe pertinaces manent lateris dolores magis cedentes epispasticis, anodynis, emplastris v. g. de labdano, cunino, quam venæ sectioni.

C A P U T V.

D E

Peripneumonia.

Dividitur in notham & inflammatoriam: hæc sporadica est, epidemica, idiopathica, vel sympathica.

Inflammatoria incipit cum horrore: pulsus initio morbi sat plenus & fortis, dein in mollem parvum, quandoque inæqualem mutatur; respiratio est calida, difficilis; decubitus sæpe in dorsum tantum possibilis; cum tussi; dolore gravativo pectoris; rubore genarum. Accedit sitis magna; urina pauca rubra; calor universi corporis &c.

Malum vel in arteria bronchiali, vel pulmonali hæret.

Vix operæ pretium est in differentiam hanc inquirere, cum cura eadem sit, & inflammata una arteria malum brevi alteram ob innumeras anastomoles petat.

G

Gibbo-

Gravidæ ægrius decumbunt, & peripneumonia phthisicis superveniens fere lethalis.

Ex angina, pleuritide valida, & parapneumotide vix medicabilis.

Lethalis peripneumonia hydrophi pectoris, aut hic peripneumoniam superveniens: quod sæpe subito fieri cum Celeberrimo Zimmermanno observavi (a).

Mali ominis est in principio peripneumoniam sanguis floridus detractus, testante Huxhamo.

Crusta inflammatoria nihil sinistri designat: si tamen tenacitas insignior, color summe luteus, aut pallide plumbeus, periculum est; cum resolutio & adtenuatio difficulter fieri, & ex diluentibus vix quidquam sperari possit observante eodem Huxhamo.

Malum quoque, si in sanguine fere in serum resoluto placenta hæreat carnis quasi firmitate, & duritie prædita.

Coryza peripneumoniam accedens timenda est; quia per tussim & sternutationem
valide

(a) Erst. Theil. pag. 363.

valide agitatur inflammatus pulmo, & impetus humorum in loco adfecto augetur.

Ingens quoque periculum, ubi respiratio tam difficilis, ut corpus in lecto erigere cogantur; hoc enim situ abdominalia viscera suo pondere deorsum ducunt diaphragma, sicque pectoris dilatationem augent. Hinc Hippocrates monuit: quod si in morbi vigore ægrotus velit residere, hoc in omnibus quidem acutis morbis malum fit, pessimum vero in peripneumonicis.

Pulsus debilis, inæqualis & intermittens, dolor subito remittens absque evacuatione, sanguis eductus spumofus, caligo oculorum, stupor, sudor frigidus, singultus &c. infausi sunt ominis.

Urinam aquosam, & eam, quæ post potum cito redditur, in pleuriticis, & peripneumonicis malam pronuntiavit Hippocrates.

Damnatur & ingratus in pectore strepitus cum tussi sicca & fervore, qui fit vel ab aëre muco collecto irretito, vel a vesiculis pulmonum siccitate crepitantibus, dum inspiciendo extenduntur.

Bene distinguendus a levi strepitu, qui educto sputo in trachea hærente brevi cellat.

Cognoscitur hic, monente Prospero Alpino (a), quod una adsint alia signa bona, & nullum perniciosum illucescat: ut Hippocrati in Pisistrato visum. Stertorosum erat in faucibus, bene autem ferebat morbum, mente constabat, calor, & stertor remisit, ac æger evasit.

Peripneumonia vel in sanitatem, vel in suppurationem, scirrhum, aut gangrænam abit.

Benigna resolutio in levi & recenti inflammatione tantum speranda.

Frequentissime sputo solvitur, dum materia phlogistica in cavum aëreum pulmonum exprimi videtur.

Optimum censetur, quod ab initio flavum, mucilaginosum cum striis sanguineis brevi in album mutatur respirationem, & pulsum emendans.

Requiritur ut cum facilitate prodeat: ne per validam tussim inflammatus pulmo pessime irritetur.

Copia

(a) De præfagienda vita & morte ægrotantium.
Pag. 367.

Copia sputorum materiæ morbosæ respondere debet. Idcirco Hippocrates metuebat, ubi in peripneumoniis siccis pauca concocta educebant ægri.

Inutile est album, viscidum, & rotundum; quia nihil materiæ morbosæ continet, sed tantum mucos bronchia lubricante inspissato & in pulmonis cellulis in rotundam figuram compacto constat.

Malum est cruentum, valde spumofum, nigrum, æruginosum, amurcosum, carnosum. Observatum tamen fuit lividum & carnosum, quandoque morbum judicasse.

Sputa, croco quasi tincta, mala quoque sunt; cum aut sanguinem putredine dissolvi, aut liquidam tantum vel ferofam partem transprimi notent.

Frequentissime crisis, ut notavi, in peripneumonicis per sputa contingit. Quandoque tamen materies morbi circulantibus humoribus miscetur, & per alvum, aut urinam expellitur.

Urina critica, aut crisin concomitans, est crassa, copiosa, hypostatica, levans, cum sedimine rubro, sensim albescente.

Urina similis ab initio morbi in summa cruditate malum portendit; post septimum diem salutaris quidem est, sed morbum diuturniorem indicat.

Laudatur alvus biliosa ob materiam flavii coloris ita dicta.

Hanc criticam esse, docet levamen; cum colorem sæpe ob alia adhuc admixta non semper bene distinguere liceat.

Illustri van Swieten hæmorrhagiam narium criticam in peripneumonia se nunquam vidisse asserit; mihi quandoque occurrebat.

Nonnullis peripneumonicis, maxime tempore humido, miliaria erumpunt, quæ quidem morbum levant, rarius tamen solvunt.

Nascuntur & abscessus ad aures, crura, hepar, lienem &c. ut ex sequentibus patebit.

Cura in peripneumonia, ut in omni graviore inflammatione a larga venæ sectione est incipienda, & pro necessitate repetenda, donec respiratio emendetur.

Evitanda vero est ad animi deliquium usque ob suffocationis periculum, cum ii, qui in id ex quacunque causa lapsi, angantur,

tur, suspiria ducant, & de obpressione pectoris conquerantur, dum reviviscunt.

Crassi & obesi parciolem ferunt venæ sectionem, quam macilentis, & musculosis.

Abfurdum quoque est, ut bene monuit Huxhamus, tantum ex nano, quam ex gigante sanguinis detrahere.

Si in phthifico peripneumonia laborante phlebotomiæ necessitas sit, ligatura venæ tusæ, animadvertente Mortono, arcta sit. Sublatum inde intra chirurgi manus vidit nobilem virum phthificum, qui amissa vix semi libra sanguinis sensim exstillantis nulla arte a morte eripi potuit.

Certis diebus venæ sectionis terminus circumscribendus non est. Huxham quandoque nona & decima die sanguinem detraxit. Idem vult Tissot, ubi febris fortis, respiratio difficilis, sputa aut nulla, aut nimis sanguinea.

Galenus præcipit (a): quod quocumque morbi die, etiam vigesimo, venæ sectio administranda sit, si indicationes eam exposcant.

G 5

Prima

(a) Meth. med. L. IX. C, V.

Prima sæpe malum levat, brevi autem iterum symptomata priora redeunt; hinc denuo sanguis mittendus, qui non raro tenax & crasso glutine obductus est.

Ob solam crustam inflammatoriam venæ sectio repetenda non est, ut in caput. de pleuritid. dictum fuit.

Ubi malum adeo neglectum, ut pulsus celer & parvus, jactatio perpetua corporis, oculi caliginosi, anxietas ingens, respiratio erecto tantum corpore perficienda; sanguinis detractio mortem acceleraret.

Phlebotomia facta convenit spongiam lacte, aut aqua tepida repletam ante os tenere, vel vasa, aqua bulliente referta in cubili decumbentis servare.

Suadent nonnulli linteo & caput peripneumonici, & vas aqua tepida repletum ita tegere, ut æger continuo aërem vaporibus aquosis repletum haurire cogatur.

Verum optime monet Illustris van Swieten (a): quod ubi uterque pulmo inflammatus

tus

(a) Tom. II. pag. 727.

tus a laxatione vasorum per balneum vaporis vix quidquam sperandum sit, cum tantis angustiis premanur tales agri, ut lintea, aqua calida madentia, ori & naribus applicata ferre nequeant.

Præterea simili vaporis balneo in largissimum sudorem cogeretur æger, nocivum semper dum vi exprimitur; cum subtilissima dissipentur remanentibus fere irresolubilibus crassioribus.

Alvus adstricta clysmate ex decocto hordei, nitro, & melle eluenda est, partim ut revulsio fiat, partim ut abdomine a fecibus & flatibus liberato facilius sit descensus diaphragmatis. Hippocrates jam voluit: ut in peripneumonia primis diebus alvus aperta servetur ad minuendam febrim. Monet autem: ne id post quintum diem fiat, cum copiosior dejectio sputa impediendo morbum periculosiorem redderet.

Ubi venæ sectionibus institutis, respiratio vel parum, vel nullo modo levatur, emplastrum vesicatorium cum duabus, tribus, quatuor meliloti partibus adfecto lateri adponendum.

Hoc

Hoc vix dolorem creat, neque calorem multum auget, vesicas tamen aque magnas & revulsionem efficaciorē facit, ac solum vesicatorium, cum majori volumine adplicari possit: nonnunquam enim urgente necessitate fere totum pectus eodem involvebam summa cum utilitate.

Si vero pulsus jam celer & inæqualis, oculi caliginosi, vel convulsiones occurrant: vesicantia fortiora ad pectus, suras, brachia, & nucham conveniunt.

Magnum certe inter pulmones, & cutim consensus intercedit; cum scabie, variolis, morbillis, & ceteris exanthematibus retropulsis subito pectus adfigatur.

Celeberrimus Pringle in magna debilitate cum delirio majorem effectum sperat a sinapismis ad plantas pedum, quam a vesicatoriis.

Id tantum locum habere videtur, ubi pulsus admodum celer, sed æqualis, & satis plenus cum rubore capitis, & magno calore conjunctus; tunc enim a cantharidibus febris, deliria &c. pessime auferentur.

Medicamenta interna in peripneumonia indicantur, quæ in pleuritide laudabantur, ut mixtura (N. 23.) ex rob sambuci oxymelle simplici, nitro, sale polychresto; decoctum (N. 24) ex radice althææ & graminis.

Quandoque peripneumonia occurrit, ubi putridum inflammatorio junctum.

In similibus pulsus minus durus, fortis, & celer est; sed calor acer, mordax, siccus; appetitus prostratus, lingua sordida; pondus in regione ventriculi; nausea, vomendi conatus; urina biliosa; sputa tenuiora & magis flava, quam in sola inflammatoria animadvertuntur.

In hac peripneumonix specie venæ sectio vitanda, aut parcius instituenda, quam in simpliciter inflammatoria. Tissot similis meminit, ubi omnes, quibus sanguis detrahebatur, moriebantur.

Bianchi (a), Vandermonde (b), Fothergill

(a) *Histor. hepat.* p. 248.

(b) *Racueil periodique d'observat. de Medicin.*
Tom. IV. pag. 130.

gill (a) a venæ sectione in morbis pectoris biliosis celebrata pessimos eventus notarunt.

Semper tamen ætatis, temperamenti, prægressorum, pulsus, constitutionis epidemice ratio habenda est.

Peripneumonia putrida decumbentibus mixturæ sequentis unciam unam omni hora, aut bihorio propinabam, donec aliquoties inde purgarentur.

℞ Aqu. fœnicul. unc. x.
 Salis mirab. Glauber dr. vj.
 Syrup. mannati unc. jß.
 m.

Manna vel tamarindi soli haud sufficiunt ob glutinosum frequenter bilioso junctum.

Purgatis primis viis, decoctum ex radice graminis, althææ cum sale polychresto, oxymelle simplici syrupo quinque radicum edulcoratum propinandum, addito ad gratum acorem spiritu vitrioli.

Occurrebant quandoque ægri, qui nec a dietis purgantibus, nec ab acidis dilutis levabantur; verum continuabat vomitus, nausea, adeo, ut licet ingenter sitirent, potum
 ta.

(a) Account of the putrid sore throat. pag. 41.

tamen omnem, & gratissimum respuerent. His præmissa debita sanguinis detractio lene emeticum (N. 31.) summo cum successu exhibebatur.

Maxima tamen cautela opus est. Frequentissimi enim grassante hoc anno peripneumonia in Nosocomio occurrebant ægri quibus ob vomitorium ab imperitis datum, aut gangræna, aut immedicabilis suppuratio succedebat.

Hinc notavit Balonius (a): quod magnæ prudentiæ sit observare in ægris, quibus venæ sectio, & quibus purgatio potius conferat: ne peccetur in medendo.

Si ægri his adhibitis non leventur, ea in auxilium vocanda, quæ in capit. de febr. putrid. laudabantur (b): ut salina alvum apertam servantia, largiora acida mineralia, cortex peruvianus, camphora, moschus, spiritus cornu cervi.

Remedia in peripneumonia inflammatoria sæpius, sed parva copia sumenda: ne

per

(a) Opp. om. T. I. pag. 72. 121.

(b) Method. Med. febr.

per ventriculum nimis distentum diaphragmatis descensu impedito major spirandi difficultas inducatur, vel ab his subito ingestis aucta humorum copia nimis gravetur infarctus pulmo.

Pro potu decoctum hordei cum oxymelle & emulsa conveniunt.

Decocta tepide sunt sorbenda, quia per calorem augetur vis diluens aquæ, & hæc per œsophagum transiens blando tepore fovet vicinas partes.

Si pulsus plenus & durus, post venæ sectionem unam aut alteram subito fiat mollior, debilis, tremulus, deliria subsultus tendinum accedant, vesicantia & camphora in usum vocanda.

Ubi ab his symptomata non emendantur: verum oculi caliginosi fiant, aut ægri convellantur; mixtura (N 32.) cum spiritu cervi, & essentia castorei multos & desperatissimos levavit, continuando strenue diluentium usum, nisi potum recusent ægri.

Si pulsus fiat subdurus, ægri floccos carpant, convulsiones persistant &c moschus

schus ad tria vel quatuor grana omni bihorio exhibitus, mire prodest.

Plures Medici vix opem inde sperant, nisi largiori quantitate propinetur. Verum felicem a parva etiam moschi dosi effectum multi alii mecum viderunt.

Depletionibus institutis, respiratione levata non raro febris remittentis species peripneumonix accedit. In hoc casu cortex peruvianus propinandus eo modo, ut in cap. de pleuritid. memini.

Crisis in peripneumonia, ut superius retuli, frequentissime per sputa contingit.

Hæc ab initio sunt tenuia. Tunc emollientibus & resolventibus ex radice graminis, althææ &c. continuandum.

In maxima obpressione pectoris, & tussi sicca commendatur: ut spongia, paucis aceto ac aqua tepida madida, ante os & nares teneatur.

Clarissimus Tissot, & Unzer (a), vapore folius aceti per aliquot horas continuato ægros ex suffocationis periculo eripuerunt.

H

Deple-

(a) Der Arzt eine medicinische Wochenschrift. V. Band. pag. 312.

Depletionibus factis & febre mitigata, si tussis valida urgeat: ad paregorica leviora descendi potest, ad spasmos sopiendos, & irritationem minuendam. Si vero pulsus plenior, major calor observentur, pessime noceret opium; sed denuo sanguis mittendus.

Observavit Magnificus Störck (a) in similibus post opiata adeo vehementem subinde tussim, ut hæmoptoën fuerit minitata non nisi venæ sectione compescendam.

Oleosa, quæ commendantur, vix conveniunt: cum facile rancescant vasa minima inhalantia ventriculi & intestinorum obturent, & majori copia propinata alvum ut plurimum liquidiores faciant. Hinc mucilago seminum cydoniorum, gummi arabicum cum syrupo althææ merito præponitur (N.33.).

Dum sanguis floridus exscreatur cum pulsu duro & forti, venæ sectio necessaria est.

Si vero pulsus debilis, nec plenus: venæ sectio pessime noceret; sed sola emulsa,
&

(a) Ann. Medic. II, pag. 61.

& infusum ex floribus rhæados verbasci cum acidis mineralibus ad gratiam dilutis locum habent.

Indicantur & hæc in peripneumonia, ubi ingens sitis & febris urgent. Cum acida mineralia, quamvis coagulum inflammatorium non solvant, putredini tamen resistent, & calorem, vires infringentem semper compefcant, neque sanguinem cogant, testante Clarissimo Ludwig (a), licet id in lymphæ præstent.

Quæ de sputis crassioribus vel subpressis, diarrhœa, aut copiosiore urinæ profusio, in capite de pleuritide dicta fuerunt: huc revocanda sunt.

Cavendum quoque: ne fortiora excreantia in peripneumoniarum principiis dentur: tunc enim inflammationem, tussim, & anxietatem augent.

Huxhamus post convenientes sanguinis detractiones vomitoria summe commendat, ubi a sputis subpressis magna respirandi diffi-

H 2

cultas,

(a) Institut. therap. general. pag. 25.

cultas, & suffocationis periculum observatur.

Abstinendum a fortiori emetico, cum inter vomendum sanguis in pulmonibus accumulatur; hinc si glutinosum illud impactum concussibus non ejiceretur, suffocatio acceleraretur, ac infelix talis casus, ab adstantibus remedio adscriptus, famam Medici pessime deturparet.

Utilissimum simili in casu foret sulphur auratum antimonii, quod glutinosum incidit, expectorationem promovet, & non raro levem vomitum ciet.

Præterdunt quidam sulphur auratum antimonii per se præcipitatum a kermes minerali non differre. Diversitatem tamen inter duo hæc præparata quoad vires medicatas manifestam esse Practici optime norunt.

Nam licet utrumque remedium hepatis sulphuris species sit partibus antimonii regulinis solutis, aut reconditis, simul constans; citior tamen & potentior vis emetica erit in eo medicamento, quod majorem quantitatem harum partium continet. Habetur id in sulphure aurato antimonii; hoc enim via
ficca

ficca videlicet nuda calcinatione paratur, hinc hepar sulphuris violentius regulum agreditur, majoremque ejus copiam adsumit, quam via humida, seu sola in aqua coctione, qua kermes minerale conficitur; hac enim methodo debilius hepar sulphuris multa aqua dilutum tardius in partes regulinas agere, & minorem earum copiam solvere valet.

Constat ex prioribus metastasin fieri: ubi materies inflammatoria mobilis, cocta, puri analoga, intra pulmonales venas resorpta, ad varia loca deponitur.

Oportet, ut hic abscessus satis cito contingant, antequam pus vomicam pulmonis formet; hoc enim venis resorptum, ad alia loca delatum, vix magnam utilitatem faciet, cum in pulmone maneat ulcerosa diathesis, qua brevi novum pus in eodem loco colligetur.

Si ad interiores corporis partes, ut hepar, lienem, cerebrum fiant: subita mors plerumque sequitur; nisi bona fortuna materies, ad hæc loca delata, cito expellatur de corpore.

Laudabiles soli sunt abscessus, qui ad partes exteriores fiunt: & observatio medica docuit, illos plerumque in hoc morbo ad parotides vel crura nasci: rarius vel nunquam ad alia corporis loca.

Sed & hi evanescentes summum periculum portendunt, nisi alia evacuatio statim succedat.

Quare sollicita attentio, movente van Swieten, requiritur, ut prævidcantur futuri abscessus: ne horum ignarus Medicus importuno artis molimine turbet quandoque futuram brevi, vel jam inceptam, materiæ morbosæ metastasin; sed his prævisis ad loca, quæ citici tales tumores occupare possent, talia adplicet, quæ faciunt, ut ad hæc, minus resistentia, plus materiæ morbificæ feratur.

Prævidentur hæc metastases, ex febre magna, diuturna, sed non nimis vehementi, absentibus signis resolutionis, aut criticæ evacuationis, & si dictæ partes rubeant, doleant.

Licet enim sputa quædam excernantur, ubi critici tales abscessus brevi jure expectantur.

stantur : hæc tamen non tanta copia prodeunt, ut morbi materiæ excernendæ sufficiant ; sed tantum indicium dant, quousque ea mutata, & cocta fuerit.

Pulsus quoque assiduo, & mire vacillat, verum absque reliquis signis pravis comitantibus, alias mortem notat.

In metastasi circa crura signa levioris inflammationis ad hypochondria observantur, sive a materia morbi per celiacam, mesentericam utramque ad viscera cylopoëtica, & venæ portarum angustias delata, sive ab alia causa minus cognita : sufficiat, monente van Swieten, novisse Medico, quod inde præsagium habeatur, futuri circa crura abscessus.

Si ad aures fiant, hypochondria sunt mollia : nam & his adfectis magnum periculum subest ; cum tantam materiæ morbosæ copiam notet, ut loca innoxia illam capere nequeant, sed viscera simul saburra eadem graventur. Inde Hippocrates monuit anxietatem in hypochondrio sentientibus tumores circa aures ortos mortem inferre.

Metastasin ad hepar futuram urina subicteritia, & color subflavus cutis notat. Nisi autem materia inflammatoria huc delata per ductus excretorios venæ portarum viam inveniatur, atque in intestinorum cava delapsa per alvum expellatur, vel in venam cavam redux ad alia minus periculosa loca deponatur, aliisque viis de corpore exeat: vomitum hepatis faciet, a quo raro emergunt ægri.

Abscessus ad partes dictas salutares esse docet respirationis emendatio, pulsus amplior & plenior, febris imminutio.

Oportet, ut copiam purulenti humoris fundant aliquamdiu aperti maneant, & utcumque fistulosi fiant ob novam continuo huc delatam materiem, quæ impedit, ne tam cito latera cavi abscessus contigua fiant, & inter se uniantur.

Ubi abscessus ad crura vel aures expectantur: emollientia, stimulantia, imo quandoque levissima vesicantia indicantur, ut in capite de febribus ardentibus (a) & pleuriti de dictum.

Ab-

(a) Method. medend. febr. pag. 30.

Abcessus mature aperiendi, & aperti fervandi sunt pergendo pro diversitate symptomatum usu decocti ex radice graminis, althææ, corticis peruviani, camphoræ, spiritus cornu cervi, moschi.

In quibus ulcera hæc multum puris manabant, cum magna virium prostratione, macie, febricula quasi lenta: decoctum ex cortice peruviano lichene islandico cum aqua & lacte profuit (N. 34.).

In metastasi ad hepar decocta ex taraxaco gramine cum melle, fomenta ad hypochondria ex emollientibus & sapone veneto conveniunt. Clysmata frequenter injicienda, ut resorpta venarum meseraicarum osculis in intestina patentibus directe, & integris suis viribus ad hepar veniant.

Peripneumonia non tam vehemens, ut gangræna, aut suffocatio accedant, in suppurationem abit.

Hanc futuram suadent pulsus mollis & debilis, doloris remissio absentibus signis resolutionis, aut criticæ evacuationis.

Primum signum inceptæ suppurationis est horripilatio vaga, nullo certo ordine, ac

nulla manifesta causa, v. g. frigore admisso ortum duens.

Causam hujus designare difficilius foret. Sufficiat, animadvertente van Swieten (a), observationes practicas docuisse eam semper adesse in suppuratione interna.

Hac facta tussis pertinax ad partum & motum aucta continuat, qua quidem aliquid mucii ejicitur, sed nihil de loco adfecto educi potest, cum abscessus nondum ruptus sit.

Accedit dein respiratio difficilis, parum anhelosa, strepens, decubitus in sanum latus intollerabilis, febricula continua periodica a partu & motu exacerbata, appetitus prostratus &c.

Suppuratione facta multum discriminis subest, cum rupta talis vomica in pectoris cavum pus effundere possit, & empyema lethale facere, vel totam sanguinis massam purulenta cacochymia sic inficere, ut funesta sequatur phthisis. Nec minus periculum imminet, ne abscessus mole quotidie auctus vicina vasa adhuc libera comprimens suffocet

(a) Tom. II. pag. 747.

cet ægrum , antequam maturatio perfecta, & maturi abscessus ruptura fiat.

Si vomica formata sit, pondere suo vicina premit, & suffocat.

Sic a pure thoracem angustante & premente levioris apoplexiæ species, linguæ paralysis observarunt Celeberrimi Medici, quæ symptomata sputis libere prodeuntibus minuebantur, aut cessabant; iis subpressis vel imminutis redibant, aut augebantur.

Omni ergo ope nitendum est, ut quam ocyssime fiat maturatio, & hac facta, collectum pus citissime educatur.

Hinc ubi pus formatur, venæ sectio non convenit, cum vires debilitando maturacionem retardet: nisi forte summa pectoris oppressio, aut ingens febris eam postulet.

Vidi nonnullos ægros, quorum peripneumonia minus bene tractata in suppurationem abiit: vomica vasa sanguinea vicina comprimendo novam iterum inflammationem creavit: febris, calor, respirationis difficultas perpetuo augebantur: ad suffocationis periculum evitandum vena secabatur symptomata omnia ita levabantur, ut adstan.

stantes, imo ipsi Medici jam de felici morbi eventu lætarentur. Verum mansit tussis sicca, nonnisi spumosa, aquosa, cum exiguis flavis punctis intermixtis educens, nec ulla alia sequebatur crisis. Hinc infausta, quam formavi, prognosis brevi confirmabatur, & ægri post paucos dies, accedente fervore illo ingrato pectoris, frustra adhibitis omnibus remediis, perierunt.

Ad rumpendam vomicam vapor calentis aquæ commendandus, ad emolliendam aëream pulmonis superficiem, ut liberrime huc versus ire possit collectum pus, & ut membrana hoc continens citius & facilius rumpatur.

Continuanda simul sunt interne emollientia.

Ubi abscessus rupturæ proximus est, quod ex plenitudine pectoris noscitur, cum jam omnia tendantur, alimenta pingua, copiosa, ingerenda, ut a ventriculo distento descensus diaphragmatis impediatur, & abscessus magis comprimatur.

Merito quoque laudatur clara lectio, injectio aceti tepidi per parvam syringam in
fau.

szuces , vectio per strata lapidea ; sed hæc cum circumspeditione commendanda, ne dum vomica rumpitur, & æger in rhæda suffocaretur fama Medici patiatur.

Periculum enim suffocationis semper subest, sed hoc evitari nequit, & quo diutius locus ille clausus erit, eo majus discrimen.

Rupto abscessu dubius adhuc manet morbi exitus, cum suppuratio hæreat in viscere vitali, aëri exposito & assidue moto.

Si sputum album, leve, instar cremoris lactis, subjectum juvenile ceteroquin sanum, si appetitus bonus, symptomata minuantur : spes est recuperandæ valetudinis.

Quo magis ab his qualitatibus recedit, eo pejus.

Vomica aperta decoctum ex hordeo, oryza, agrimonia ; & si insignior sitis, calorque notentur : emulsa, serum lactis conveniunt.

Pure nimis crasso, diacodium cum oxymelle scillitico propinandum.

Si corpus extenuetur, decoctum ex lichene islandico & agrimonia prodest, cui ubi
magna

magna debilitas, cortex peruvianus addendus.

Difficilius ferunt corticem in substantia, & frequenter inde pectore anguntur, ac sputa subprimuntur.

Noctes insomnes, & tussis ad vespervas vehementior paregoricum petunt; ne ab hac ulcus denuo inflammetur, & ab inflammatione nova iterum suppuratio oriatur.

Ubi nulla amplius febris, pilulæ ex olivano, styrace calamita, extracto liquiritiæ, cum exigua dosi balsamorum nativorum conveniunt (N. 35.); artificialia enim inflammante acrimonia potius nocent, quam profunt.

Antihecticum Poterii, quod a quibusdam laudatur, mihi infidum imo nocivum videtur remedium, cum stannum vulgare vix non semper plumbum, anglicum vero, quod ad hoc præparatum sumi jubetur, zincum, bismutum, item cuprum varie admistum habere soleat. Hinc cum nec plumbum nec cuprum hecticis conveniat, multo minus horum metallorum calces, magis adhuc solubiles, propinari posse autumo.

Præ-

Præterea purissimum ut vocant stannum ob maximam, quam cum arsenio habet affinitatem aliquid hujus perniciosi semimetalli sibi admistum habere, & pervicaciter retinere, per experimenta demonstrarunt Henkel & Marggraff.

Victus ex lacticiis & oleribus molissimis, ut endivia, lactuca, spinachia eligendus. Alimenta pauca quantitate sed repetitis vicibus adsumenda, ne nimia humorum copia morbosus gravetur pulmo.

Gelatinæ ex extremis animalium partibus vomica laborantibus, & phthificis pessimo cum eventu a vulgo commendantur; cum tenax & viscidus inde nascatur chylus, debilem pulmonem plus gravans, quam corpus nutriens.

Illustris van Swieten a decocto pedum vituli ingentes anxietates, & tumentes inde ægros vidit.

Constat ex prioribus vomicam non raro in cavum pectoris rumpi, & empyema formare.

Noscitur hoc ex signis vomicæ disparentibus, tussi sicca, gravitate, decubitu aut
in

in dorsum, aut in latus adfectum tantum possibili; fluctuatione, strepitu puris ad motum corporis, nisi hoc crassum vel copiosum sit; demum genis rubentibus, febris lenta, oculis cavis, unguibus recurvis.

Incerta est dies, qua vomica rumpitur. Hippocrates monet id quandoque vigesima, quadragesima, sexagesima die accidere. Simul notat illis ægris citius rumpi vomicas, quibus dolor intensior fuit in principio morbi, uti & spirandi difficultas cum tussi & sputatione.

Dum empyema formatur, rupta vomica, symptomata ita minuuntur, ut quandoque penitus abolita videantur.

Cavendum ergo est Medico, animadvertente van Swieten, ne subito hoc levamine deceptus credat morbum finitum esse, cum adhuc anceps periculum supersit. Non quidem convenit tristi prognosi data eripere ægro blandam illam sanationis spem, quam conceperat, sed oportet amicos monere, quod fallax illud levamen sit, sic enim famæ detrimentum cavebitur.

Prognosis est pessima. Vel enim a corruptione

ruptione puris febris hectica, & phthisis, vel a puris copia respiratio suffocativa; quod ex lateris adfecti protuberantia, tumore brachii, anima fœtente, febris hectica, sudoribus nocturnis noscitur.

Habentur quidem exempla puris resorpti, & per urinam aut alias vias excreti. Verum rarissime pus bonum, quod crassum est, absorbetur.

Hinc vix alia via superest, nisi paracenthesis. Hac facta vulnus nunquam consolidandum, nisi constet depuratam rite superficiem ulcerosam thoracis interni esse; quia novum fieret empyema, quod similem de novo operationem posceret.

Hac instituta remedia indicantur, quæ vomica rupta laudabantur: de quibus uberius in capite de phthisi.

Si empyema vetus, vires collapsæ, capilli jam cadant, alvi fluor colliquativus adsit, corpus contabescat; paracenthesis facta mortem accelerare solet.

Nam perforato thorace tabefactus pulmo, qui a pure collecto adhuc sustentaba-

tur, diffluit illico, & subito moriuntur ægri.

Abit & peripneumonia in scirrhum, quem orthopnoea, molesta & sicca tusficula, symptomata a motu corporis, aut pastu aucta comitantur, maxime dum cruda & copiosa alimenta adsummuntur.

Distinguitur hic a vomica: quod symptomata in eodem flatu maneant, in vomica vero increfcant.

Aegre curatur, cum & in externis corporis partibus difficilis cura sit, ubi omnia artis adminicula immediate loco adfecto applicari possunt.

In recenti scirrho pilulæ sequentes tentari possunt.

℞ Sapon. venet. unc. j.
 gummi ammoniac. dr. ij.
 extracti cicutæ dr. j.
 f. l. a. pil. gr. iij.
 sumat ter de die vij.

superbibendo aquam selteranam cum paucō lacte.

Ubi inveteratus scirrhus, nihil movendum; sed omnia, quæ inflammant, aut crassum chylum generant prohibenda.

Facile & in hoc morbo concreſcunt pulmones cum pleura, dum ficcæ & imperſpirabiles hæ partes redduntur.

Parva adcretio vix notatur. A majori vero reſpirationis impedimentum, & dolor obtuſus fore immedicabilis.

Si peripneumonia jam curata appetitus proſtratus, & ingrati ruſtus notentur: purgans lene ex aqua laxativa convenit.

In hypochondriacis, & hystericis poſt violentiores peſtoris inflammationes non raro ſuperest ſat longo tempore obpreſſio peſtoris, & reſpiratio difficilis ob ſpasmus majores in corpore a venæ ſectiõibus & diluentibus plus debilitato. Cavendum: ne malum pro ſuppuratione, vel obſtructione habeatur, & reſolventibus, vel lacticiiniis tractetur, cum pulſus in his sæpius fallat, ut in omnibus hystericis.

Sed id patet ex temperamento, prægreſſis, abſentia febris, gelis non rubentibus, urina pallidiori.

De diætâ & regimine ea notanda, quæ in methodo medend. februm dicta fuerunt.

Peripneumonia notha

Peripneumoniâ notha hyeme a frigore, vel verno tempore oritur, dum superveniente calore pituita solvitur, humoribus circulantibus miscetur, tenacitate sua vasa obstruit, & pulmones sensim sensimque infarcit.

Senibus, otiosis, victu duriore abutentibus, pituitosis, frigidis, catarrhosis, spiritu vini abutentibus familiaris est morbus.

Rarior feminis & pueris, cum vasa facilius dilatentur.

Quæ humores magis ad pulmones determinant, morbum hunc producant: ut cursus, declamatio, cantus, ebrietas, æstus, subitum frigus calorem excipiens.

Diagnosîs morbi est difficilis.

Incipientis signa sunt: temperamentum, prægressa, levis defatigatio, major debilitas, hebetudo insolita, sensus torpentes, proclivitas ad somnum, facies rubra livefcens, anhelatio, anxietas, pectoris obpressio,

sio. Absit febris, aut levissima solummodo ægros vexat. Sequuntur horriplationes, vicissitudines caloris, & frigoris. Augentur anhelitus, & debilitas. Urina quandoque pallet, quandoque intense rubet, emissa statim turbatur, aut turbida mingitur, talis absque sedimine manet, conquassata spumam diu retinet. Accedit molestus dolor capitis inter tussendum, & multa communia signa cum peripneumonia vera; sed levior longe febrilis insultus animadvertitur.

In senibus non raro hydrops pectoris succedit.

Cura est difficilis. Venæ sectio caute instituenda ob corpus laxum & senile. Adtenuantia summa cum prudentia quoque adhibenda, ne impetus humorum in vasa pulmonalia augeatur, & obstructio irresolubilis reddatur. Quod tristi sæpius exemplo patuit, dum ægri aëris frigus tamquam unicam causam accusantes, spiritibus fermentatis, aut aromaticis utentes brevi perierunt.

Cura nisi vires nimium prostratæ, aut pulsus inæqualis &c. a venæ sectione ex lar-

go vulnere incipienda ne pituita gravatus sanguis id obstruat.

Sic tutius dein remedia adtenuantia in usum vocari possunt.

Parcius detrahendus est sanguis tempore humido, & ætate admodum proVectis.

Cavendum a nimia venæ sectione, cum hæc lentorem pituitosum augendo pessime noceat.

Clyisma quotidie injiciendum, donec pulsus fortior, & respiratio facilior reddatur.

Abstinentum ab enematis, si nimium inde debilitentur ægri.

Vesicantia extremitatibus adponenda, & corpus sale sedlizensi, aut thermarum carolinarum purgandum.

Sydenhamus vult, ut alternis diebus purgans antiphlogisticum exhibeatur. Verum hoc pro diversitate subjecti, & symptomatum est determinandum. Nam obesi, viribus magis valentes, laute antea nutriti plures ferunt alvi evacuationes, quam ætate proVecti, aut viribus admodum fracti.

• Decoctum & infusum ex radice bardanæ, hyssopo, floribus sambuci cum oxymelle simplici & scillitico edulcoratum addito pauco nitro sæpe prodest (N.36.).

His non juvantibus kermes minerale, & urgentiore casu sulphur auratum antimoni ad granum unum vel duo omni bihorio, aut trihorio, exhibendum.

Si hisce in usum vocatis, absente febre sputa valde glutinosa ejiciantur, manente sat valida pectoris obpressione gummi ammoniacum aceto squillitico solutum, aqua hyssopi diuturnum convenit superbibendo infusum stipitem dulcamaræ (N.37.), hyssopi &c.

Abstinentum ab omnibus oleosis.

Morbo jam debellato pilulæ (N. 38.) ex gummi ammoniaco, extractis amaricantibus, extracto enulæ exhibendæ ad hydrophem pectoris præcavendam.

Si urina parcior, corpus magis inflatum, prioribus pilulis aliquot grana extracti scillæ utiliter admiscantur.

Morbo durante victus tenuis; eo debellato diæta ex carnibus tenuioribus & facile digerendis imperanda est.

Moderatus vini, & aromatum usus, frictions, levis corporis motus, acidulæ, ut Ruitschenses cum vino Austriaco, multum profunt.

C A P U T VI.

D E

Paraphrenitide, Mediastini, & Pericardii inflammatione.

Frequentius, ac creditur, mediastini, & pericardii inflammatio contingit, notante Illustri van Swieten.

In mediastino inflammato æstus validus, angustia ad sternum, sputa colorata, pulsus durus, observatur. Minor autem dolor, ac in pleuritide ægros vexat: cum inter inspirandum dilatato thorace non tam valide distrahatur mediastinum.

In inflammato pericardio pulsus perturbator, & animi deliquia occurrunt.

Nonnunquam talis morbus phrenitidem,
&

& paraphrenitidem comitatur. Nam, momente Clarissimo Selle (a), haud raro accidit, ut plurimum partium inflammationes simul coëxistant, pro cujus complicationis diversitate alia atque alia phenomena adparent, quorum determinatio sat difficilis est.

Causæ, & cura eædem sunt, ut in pleuritide, sed prognosis periculosior: nisi enim benigna resolutione morbus solvatur, mors subita, aut vix superabilia sequuntur mala.

Ubi abscessu nato sub sterno pus collectum, terebrationem sterni laudant.

Paraphrenitis noscitur ex febre continua valde acuta; respiratione sublimi, parva, celeri, suffocativa, solo fere thorace peragenda; dolore ad præcordia, latera, dorsum, in inspiratione aucto. Accedit tussis, nausea, vomitus; hypochondriorum introrsum revulsio; delirium; & risus sardonius.

Falluntur vero, qui credunt cynicum spasmus pathognomicum inflammati diaphragmatis signum esse. Bina exempla vulnerati dia-

I 5

phra-

(a) Rudim. pyretolog. method. pag. 119.

phragmatis sine risu sardonio refert Illustris Morgagnius (a).

Sed & aliis imi ventris adfectionibus hic spasmus quandoque accedit. Sic Clarissimus van Dæveren risum sardonium in paroxysmo febris intermittens per emeticum dein fugatæ observavit. Et Clarissimus Strack multos in febre pedechiali risu sardonio exanimatos vidit (b).

Juvenis recordor, qui febre putrida neglecta risu sardonio stipata decubuit. Cortice peruviano, acidis mineralibus, clysmatibus, spiritu cornu cervi cum essentia castorei propinato multum leyabatur. Verum tertia die ob metum præsentis inflammationis diaphragmatis, licet pulsus debilis & celer esset, nec dolor in respiratione adficeret ægrum, me disuadente venæ sectio instituta, & oleosa exhibita fuerunt. Sed inde, ut prædixeram, post biduum convulsus periit æger.

Ex quibus patet non ex diaphragmatis solum, sed cujuslibet visceris, quod a ner-

VO

(a) De sed. & caus. morb. Epist. LIII. art. 3. & 6.

(b) Observ. de morb. cum petech. pag. 175.

vo intercostali ramos habet, vitiis spasmus illum per consensum produci posse *

* *Legi potest Henrici Rahn Dissertatio de miro inter caput, & viscera abdominalia commercio Gættingæ edita.*

Prognosis est periculosior, ac in pleuritide ob motum perpetuum partis, ob consensum ejus cum corde & cerebro. Hinc tertio, quinto, sexto die moriuntur. Morbus ut peripneumonia judicatur.

Cura eadem ac in pleuritide.

Clysmata injecta plurimum profunt, cum intestinum colon, ubi circa hepar & lienem transit, diaphragmati vicinum est; hinc molliissimis decoctis per clysmata injectis repletum fomentum applicat blandum & resolvens inflammato diaphragmati.

Si abscessus nascatur, aut in cavum thoracis, aut in abdomen rumpitur. In priori casu empyema, in ultimo asciten purulentum creat.

CAPUT VII.

, D E

Hepatitis.

Hepatitis in vena portæ, vel arteria hepatica locum habet.

Una nata, facile altera ob innumeras anastomoses sequitur.

Fridericus Hoffmannus, & Illustris van Swieten rariorem hepatitisem veram esse docent, ob arteriæ hepaticæ parvitatem, & minorem impetum sanguinis venæ portarum.

Frequentius hepar in parte exteriori inflammatur.

Signa hepatitis sunt: febris acuta continua, sitis, respiratio difficilis, tussis sicca, urina flammea, alvus adstricta, tensio dolorifica hypochondrii dextri, quæ quandoque pleuritidem mentitur, & ad jugulum usque extenditur.

In extima hepatis membrana adfecta, singultus, tumor hypochondrii dextri, decubitus

bitus in ideam latus molestior, pulsus durior, celerior, dolor vehementior, præcipue in motu diaphragmatis.

In inflammatione partis concavæ major vomitus, anxietas, tensio, & icterus.

Hepatitisem causant omnia, quæ inflammationem generant, & ad hepar determinant: ut bilis acris post æstates fervidas, calculus, obstructio, contusio, hæmorrhoides, & menstrua subpressa affectus animi validi, metastasis, rheumatismus, podagra.

A potu & balneo frigido hepatitis oriri valet: cum hepar magna sui parte ventriculo incumbat, & ibi nudo peritonæo tangatur.

Ab hepate inflammato bilis generatio, secretio, excretio turbatur; inde icterus, putrefactio liquorum, & viscerum abdominalium.

Morbus est periculosus, ob viscus friabile, perpetuo agitatum, & bilem tam facile putrescibilem.

Minus discriminis est, si inflammatio hæreat in vasis venæ portarum, quam si occupet vasa arteriosa hepatica. Gibbosa enim hepa-

hepatis pars inflammata facile diaphragma simul adficit.

Ex materia atrabiliaria vix medelam admittit, vel ubi hepar antea scirrhum, ac calculosum fuit.

Vomitus nigri, dejectiones alvi tetri coloris & odoris, continuus singultus, sitis magna, extremitatum frigus, signa dant gangrænæ præsentis, mortisque instantis.

Solvitur hic morbus benigna resolutione, criticis evacuationibus, metastasi, vel in suppurationem, scirrhum, & gangrænam abit.

Criticæ evacuationes sunt: alvus biliosa cum paucis cruore; hæmorrhagia communiter ex nare dextra; urina acris, multa crassa, cum sedimento subalbo, sudor continuans.

Sic Galenus observavit: ipsam bilem infarcto hepate in sanguinem regurgitantem per sudores amaros exivisse de corpore.

Atrabiliaris, & quibus hæmorrhoides subpressæ, morbus & per hæmorrhoides solvitur.

Vidi quandoque sputa flava, copiosa, morbum levantia, absque ullo adfectu

pulmonum signo, quandoque enim ut Sarcone (a), alique observarunt, pectus & hepar simul inflammantur.

Amicum quoque schirrhis adominis inveteratis diu laborantem, inflammatione hepatis correptum sputis copiosissimis cœnosis suffocatum dolui; licet duodecim ante mortem horis nulla omnino pectoris labe se manifestasset.

Nascuntur & in hepatitide metastases ad crurâ.

Supervenit nonnunquam mitior lienis dolor, qui ubi ante signa suppurationis observatur, materiam in hepate stagnantem jam mobilem redditam per alias vias excretam iri notat: in progressu morbi, ubi nulla spes resolutionis, suppurationem, & scirrhum indicat.

Indicationes sunt, imperum humorum minuere, crassum adtenuare, & solum evacuare.

Venæ sectio parcior, ac in aliis inflammamâ.

(a) Pag. 238.

mationibus instituenda, præcipue ubi malum in vena portarum hæret.

Si pulsus debilis, icterus gravior, vires prostratæ; pessime noceret.

Atrabiliariis, vel quibus hæmorrhoides subpressæ, hirudines, & infessus super aquam calidam profunt.

Cataplasmata, fomenta ex speciebus emollientibus cum sapone veneto, & urgente necessitate, suadente Pringle, vesicantia hypochondriis applicanda.

Clysmata maximæ sunt utilitatis cum bibulis venis resorpta, directe & integris suis viribus ad locum adfectum perveniant, & tepida hæc intestinum colon, quod notabili parte secundum hepar decurrit, intrando, blandum fomentum hepatis largiantur.

Remedia in hepatitide indicantur solventia, alvum moventia, sitim & calorem minuentia, ut decoctum ex radice graminis, acetosæ, cichorei, tamarindis, cum sale polychresto, & syrupo quinque radicum, vel mixtura (N. 39.), vel electuarium ex rob sambuci pulpa tamarindorum & crystallis tartari.

Crisi

Crisi per alvum, aut sudorem sequente decoctum prius absque sale polychresto & tamarindis convenit; alvus enim ita moderanda, ne vires emungat.

Idem remedium addita drachma una aut altera nitri locum habet, ubi hepatitis per urinam solvitur.

Morbum superatum scimus: si urina & feces naturales, si nulla flavedo in oculis, nec ex pallido flavescens faciei color, nullus dolor circa hypochondrium dextrum, nulla anxietas præsertim repleto ventriculo, vel post majorem paulo corporis motum observetur, & imprimis, si per aliquot septimanas nullum ex his signis redeat.

Magna enim cura cavendum est: ne quid maneat morbofi, cum multa mala chronica a neglecta vel non integre curata hepatitis originem ducant.

Nonnunquam accidit, ut inflammatione fugata, præcipue in subjectis atrabiliaris ob causas leviores icterus vehementior, & pertinacior redeat.

His præter decocta solventissima pilulæ ex sapone veneto, gummi ammoniaco, ex
K tracto

tracto rhei, & sale polychresto præscribendæ (N. 40.). Abdomen unguento althææ inungendum.

Quandoque a diuturniori horum remedium usu diarrhæa sequitur, quæ ægros jam debiliores viribus exhaurit, quod ex pulsu debili, parvo, inæquali &c. noscitur.

His purgantium & solventium loco mixtura ex extracto corticis & aqua melissæ vel simplici, vel ubi vires multum languent, cum vino propinanda, & decoctum hordei cum oxymelle simplici & syrupo rubi idæi pro potu dandum.

Non obest corticis peruviani usum in obstructionibus viscerum damnari: nam in hoc casu humores ab acri bile soluti, & solida nimis laxa videntur; hinc cortex tamdiu continuandus, donec vires augeantur, dein eidem mixturæ aliquot drachmæ salis polychresti admiscendæ, donec alvus difficilior, robur firmatum priorum solventium remedium ulteriorem usum continuandum suadeant.

Morbo debellato ad recidivam præcavendam,

vendam, acidulæ Egranæ, vel Ruitschenfes utiliffimæ funt.

Suppuratio oritur, ubi nec refolutio nec critica evacuatio accellit, continuante febricula, horripilatione vaga &c.

Abceffu nato vel totum hepar confumitur, & inde icterus, tabes, tympanitis, diarrhœa colliquativa: aut in abdomen rumpitur & viscera confumendo, afciten, vel rupta vena portæ, fubitanream mortem infert. Utrumque malum infanabile eft.

Vel materia purulenta per ductum hepaticum ad duodenum fertur, & per alvum aut vomitum expellitur.

Magnum periculum, ubi bonæ notæ pus excernitur; fed ubi ichorofum & fœtidum eft, certa fequitur mors.

Remedia commendantur detergentia & putredini adverfa: ut ferum lactis cum fpiritu vitrioli, aut acetofella paratum.

Ubi maxima debilitas, parciori dofi extractum corticis propinari poteft.

Fluit & pus per venam cavam in fanguinem.

Si id sensim fiat, nec materia penitus a conditionibus boni puris degeneraverit: per urinas, vel metastases salus fieri potest.

Sed metastases hæ raro bonæ sunt, cum pus ad pulmones delatum crassitie sua ægrum suffocare, vel acre factum functiones corporis pessime turbare valeat.

Commendantur serum lactis recentis cum acetosa coctum, juscula carniū cum succo citri vel aurantiorum, vinum Rhenanum, decoctum panis, oryzæ, avenæ cum spiritu nitri dulcis, liquore anodyno minerali.

Laudentur & aquæ minerales, quatenus per omnia fere vasa mobiles abstergunt, abluunt, & per urinæ vias, quandoque per alvum educunt.

Verum magna plerumque debilitas comitari solet hunc morbum, & observant omnes Practici, aquas illas, ceteroquin adeo salubres, nihil prodesse, ubi tam parum de viribus vitalibus in corpore ægro superest.

Dum

Dum abscessus extrorsum formatur, is brevi aperiendus.

Si pus æquale, boni coloris, nullum odorem spirans exeat: spes adhuc superest; secus certe pereunt ægri.

Tumore adparente in illa regione, ubi vesicula fellis locatur, sedulo inquirendum, an abscessus ibi hæreat, & an non a tumente vesicula fellea pars elevetur.

Signa distinctiva optime descripsit Illustrissimus van Swieten, quod suppurationem comitetur dolor pulsatorius; horrores vagi frequentiores, & diuturniores; quod tumor ab abscessu factus non adeo limitatam figuram habeat, neque statim in eo fluctuatio adpareat, & quod hæc primo percipiatur in centro tumoris omni reliquo ambitu adhuc duro.

Hepatitis in scirrhum abiisse docet tumor, durities, pondus, icterus, respiratio difficilis, anxietas, quæ omnia ad partem augentur.

Tentari possunt solventia ex succo graminis, taraxaci, cichorei, si haberi possunt:

secus meracissima horum decocta conveniunt.

His non juvantibus vitæ regimen debitum commendandum. Sic per multos annos absque incommodo scirrhum ferunt ægri. Cavendum, ne ultro medicamentis solventibus irritetur, & cancer sequatur.

Quandoque observatum fuit, post icterum diuturnum horrendos nasci in abdomine dolores, sanguinem magna copia sursum, & deorsum exire: unde animi deliquium, & mors. In his verosimile videtur, cancerum acrem ichorem vasa erosisse.

CAPUT VIII.

D E

Gastritide.

Ventriculum inflammatum esse constat ex dolore ardente fixo in regione ventriculi, vomitu ad ingesta, anxietate ingenti circa præcordia, siti, singultu, febre acuta, continua, quandoque tamen ut in gastritide a venenis nata ob syncopes, & doloris vehementiam pulsus debilis & subpressus tangitur.

Inflammatiō partium vicinarum, ut hepatis, pancreatis dubiam formant prognosim maxime cum ventriculi situs mutetur in eodem homine, prout magis vel minus flatibus, aut ingestis distentus est, & cum miræ varietates in situ ventriculi observentur.

Signum fere pathognomicum, animadvertente Illustri van Swieten, est exacerbatio doloris ab ingestis parca copia sumptis, & talibus, quæ ceteroquin facile fert ventriculus. Si enim in vicinis partibus inflam-

matio hæserit, illæ irritantur quidem a ventriculo distento, sed non ilico sentitur doloris exacerbatio, si parum simul in ventriculum ingeratur.

Rarissimi enim casus sunt gastritidis absque vomitu observatæ (a).

A musculis epigastrii inflammatis ob loci viciniam, eadem fere, at mitiora, excitantur symptomata, observante Clarissimo Sauvages (b); sed tumor est plus adparens, sensibilitas major ab attactu cutis, minor dolor ab ingestis pauca copia sumptis. In gastritide tumor, tensio, dolor profundior notatur.

Licet hæ inflammationes confundantur: in curatione nullum damnum orietur, cum similis medela requiratur.

Causæ gastritidis variæ sunt: ut inflammatio partium vicinarum; acria ingesta, vomitoria & purgantia drastica, venena; miasma variolosum, morbillosum, arthritidis retropulsa; hæmorrhagiæ consuetæ subpressæ.

In

(a) Haller Opusc. path. Observ. XIV. Hist. III.

(b) Nosol. Method. Tom. II. Part. I. pag. 470.

In cadaveribus febre putrida defunctorum neglecto vomitorio non raro levis inflammatio ventriculi reperitur.

Omnium forte frequentissima causa est potus gelidus, cum directe in ventriculum delabatur, maxime si copiam talis potus a laboribus æstuans homo simul & semel ingurgitaverit: a qua causa post intollerabiles anxietates intra paucas horas mortem vidit Illustis van Swieten.

Hoffmannus plures similes casus recenset gastritidis ab hac causa natæ.

Observavit idem vir Celeberrimus frequentem ventriculi inflammationem ab emetico vel purgante drastico post iram exhibitto, quo bilem ab ira, ut putarunt, commotam e ventriculi sinu exturbare voluerunt.

Morbus est valde periculosus, cum remedia vix ingeri possint.

Discrimen augetur pro magnitudine inflammationis & vehementia symptomatum.

Tollitur ut reliqui morbi inflammatoriï resolutione benigna, vel in suppurationem, aut gangrænam abit, quæ non raro a spirituosus & stomachicis nascitur.

Cura a venæ sectione larga & audaci inchoanda & pro necessitate repetenda.

Ab ea abstinendum, ubi pulsus debilis, inæqualis, convulsiones, syncope, deglutitio sonora animadvertuntur.

Clysmata antiphlogistica sæpius injicienda. Fomenta emollientia & resolventia regioni ventriculi; & factis depletionibus pulsu debili, & parvo vesicantia adplicanda.

Commendantur & balnea; sed hæc vix ferent ægri ob anxietates, & jactationes frequentes corporis.

Non incongruum erit hoc loco quædam adjicere, quæ morbum præcavent, cum præsens tam difficulter curetur.

Si a fungis venenatis vomitus observetur, subito emeticum propinandum, antequam inflammatio sequatur.

Hoc neglecto, datis etiam copiosissimis diluentibus, convulsiones & mortem succedere vidi.

Ubi ab emetico vel purgante drastico vomitus, dolor ad regionem ventriculi observatur: lac cum aqua, jura tenuia, pingua largissime exhibenda sunt; ut hærens
forte

forte adhuc irritans in tunica ventriculi interiori eluatur : quod in homine a granis octo vitri antimonii in substantia exhibitis necato vidit Celeberrimus Fridericus Hoffmannus (a).

Ad præcavendam gastritidem a mercurio sublimato corrosivo sumpto commendat Macbride unciam salis tartari in libris octo aquæ dilutam, & affatim haustam (b).

Gastritide jam præsentente decoctum hordei, avenæ, althææ, serum lactis cum paucis nitro convenit.

A majori nitri dosi, ab omnibus acidis, imo acidulis abstinendum: ne irritatio major sequatur.

Pro nutritione quidquam vitelli ovi admisceri potest.

Omnia hæc sæpius, verum parcissima dosi ingerenda sunt: ne a ventriculo distento major dolor, & vomitus oriatur.

Vitanda sunt paregorica in gastritide
ad

(a) Opusc. path. practic. decur. II. Dissert. VII. pag. 456.

(b) Systematische Anleitung in die Arzneykunst, Zweyter Theil. pag. 715.

ad vomitum sistendum : tum quia nonnullis emesis inde cietur; tum quia in inflammatione opium non convenit ob rationes sæpius adductas

In animalibus inde necatis ventriculus inflammatus erat, in cane per solutionem opii in jugularem injectam ventriculus, & intestina valde inflammata reperiabantur, teste Tralles (a).

Forte olim opium liberalius in inflammationibus propinabatur, quia remedium in quarto gradu frigidum censebatur.

Ubi inflammatio ventriculi a metastasi exanthematum orta, ea locum habent, quæ in capit. de miliar. dicebantur (b).

Illustris Vogel in simili casu vesicatorium latum regioni epigastricæ adplicare merito præcipit (c).

Si gastritis non tam vehemens, ut in gangrænam abeat, nec tam levis ut benigne resolvatur : in suppurationem
abit

(a) Tom III. pag. 184.

(b) Method medend. febr. pag. 75.

(c) De cognosc. & curand. præc. corp. hum. aff. pag. 159.

abit , quæ ex remissione doloris , horripilatione , pondere in ventriculo noscitur.

Vomica rupta pus sursum & deorsum evacuatur quandoque cum levamine.

Aliquando , ubi ventriculus peritonæo adcrevit , abscessus per integumenta extrorsum rumpitur , & fistulam relinquit , per quam dein toto reliquo vitæ tempore pars ingestorum prodire solet.

Nonnunquam ex ulcere hæmorrhagia lethalis , & vomitus cruentus.

Ubi suspicio vomicæ natæ , ab initio emollientia conveniunt. Vomica rupta detergentia , & consolidantia.

Sed & hæc parcissime propinanda , ut & alimenta ; ne a copiosis his ingestis ventriculus distendatur , & partes , quæ coire inceperant , distrahantur.

Victus ex oryza , pane , hordeo , jure carniū imperandus : & clysmata nutrientia similibus ægris utilissima sunt.

Scirrhus præfens noscitur ex tempore resolutionis & suppurationis elapso manente pondere in regione ventriculi , & nonnunquam vomitu ab adsumptis.

Scirr.

Scirrhus talis diu manere potest: licet pondere, & mole sua partes distrahendo plures molestias generet. Ubi vero diuturnitate temporis, vel acrium medicamentorum usu in canerosam malignitatem vergere incipit: horrendi dolores inde fient.

Si scirrhus recens: binæ drachmæ saponis veneti per plures menses quotidie sumptæ quandoque profuerunt, cum summum dissolvens & mite remedium sit. Quamprimum vero dolor augetur inde, abstinendum & extractum cicutæ tentandum, a quo non raro scirrhotæ indurationes feliciter solvuntur.

Profunt & aquæ medicatæ spadanæ vel his similes, quæ mira vi solvendi concreta in corpore solvere valent, neque interim acrimoniam magnam habent.

CAPUT IX.

DE

Colica.

Omnis intestinorum dolor colica audit, quæ in varias species ratione symptomatum, & causarum distinguitur.

Hinc alia est periodica, epidemica, inflammatoria, biliosa, pituitosa, flatulenta, spasmodica, stercoracea, pictonum. Demum ab hæmorrhoidibus, menstruis, herniis, vermicibus, & peregrinis tumoribus, colica observatur.

Licet hoc tomulo tantum de morbis inflammatoriis tractare in animo fuisset: tamen hic agam de colica flatulenta, & biliosa, cum sæpe inflammatoria pro flatulenta habita pessime tractetur, & non raro inflammatoria biliosam sequatur; maxime si non justa medendi methodus adhibeatur. Sic Spigelius in omnibus

colica defunctis intestinorum inflammationem reperiit.

Colica inflammatoria.

Hæc a causis inflammationis ad intestina delatis oritur: ut ab aëre, balneo frigido, maxime æstuanti corpori applicato, a venenis, purgantibus drasticis; evacuationibus sanguineis subpressis; spirituosis adsumptis; compressione intestinorum in herniis; materia acri, dysenterica, putrida &c.

Clarissimus Ludwig refert (a): quod sectiones cadaverum, febribus continuis malignis, & exanthematicis extinctorum vix non semper partes quasdam intestinorum inflammatas sistant absque intenso dolore prægresso.

Inter colicæ causas non absurde omenti defectus numerandus est; cum ab hoc intestina tegantur, foveantur, ac lubrica fermentur.

Frequentius intestina tenuia, quam
crassa,

(a) Instit. Medic. Clinic. 155.

crassa, animadvertente van Swieten (a), inflammantur: cum hæc ita constituta esse videantur, ut minus facile adficientur, quam tenuia; cum stercoracæ materiæ jam subputridæ, & acriori servandæ inserviant. Præterea omnia acria ingesta, vel mora in ventriculo aut intestinis talia reddita, primo noxam inferunt tenuibus, antequam ad crassa pervenire possint.

Incipit enteritis cum horrore, succedit dolor ad tactu auctus, qui licet fixus maneat, per intervalla tamen immaniter augetur, vel a contentis in intestinorum cavo, vel a flatibus ad locum inflammatum usque propulsis.

Abdomen sensim sensimque increfcit cum sensu ardoris fere ignei, pulsu duro & celeri, urina rubra, siti magna. Nonnunquam tamen tenuem materiam per anum excernunt ægri, sed frequentius alvi obstructio animadvertitur.

Inflammatis tenuibus, nausea & vomitus vehementius urgent.

L

Citiùs

(a) Tom. III. pag. 160.

Citius autem vel serius evomuntur adsumpta, prout inflammatio majori vel minori distantia a ventriculo sedem fixerit.

Colon inflammatum quandoque pleuritidem, & hepatitidem mentitur, dum dolor ad costas usque adscendit.

In inflammatione intestini recti symptomata hæmorrhoidalia occurrunt: ut tenesmus, urinæ stillicidium, constrictio ani.

Enteritis a nephritide differt per alvi constipationem, per symptomata ab adsumptis aucta, & quod in nephritide urina magis saturata spectetur.

Prognosis differt ratione subiecti, loci, vehementiæ morbi, symptomatum.

Facilius sanantur crassa, quam tenuia: cum eorum fabrica forte magis resistat; tum quod inde non tam facile & cito reliquorum intestinorum actio turbetur; tum quod per clysmata plus emolumenti sperari possit.

Quo sitis major, dolor acerbior &c. eo majus periculum.

Melior

Melior est alvus soluta, quam adstricta cum vomitu pertinaci.

Periculosissima est enteritis in gravidis ob metum abortus, alvi obstructionem, vomitum, & cetera symptomata ut plurimum vehementiora; cum per extensum a fœtu uterum omnia viscera abdominalia comprimantur.

Pulsus debilis, inæqualis; sudor frigidus; doloris remissio absque resolutione, aut critica evacuatione; excrementa tenuia, ichorosa, in scio ægro abeuntia; lingua sicca; singultus; oculi caliginosi; animi deliquia mortem portendunt.

Solvitur enteritis benigna resolutione; diarrhœa blanda, subcruenta, biliosa.

Inflammatiō intestinorum crassorum maxime recti per hæmorrhoides nonnunquam tollitur.

Abit & in suppurationem, gangrænam, & scirrhum.

Cura a largæ venæ sectione incipienda, pro ratione virium & symptomatum repetenda.

Soli pulsui in hoc morbo non fiden-
L 2 dum:

dum : cum ob acerbitem doloris non raro parvus, & debilis tangatur, licet vires exorbitent.

Si temperamentum, ætas, prægressa id suadeant : prima venæ sectio moderata esse potest ; sed insurgente pulsu subito larga, & audax instituenda.

Hæmorrhoidibus tumentibus hirudines applicandæ.

Post venæ sectionem clysmata emollientia frequenter injicienda. Licet enim, si in tenuibus hæreat inflammatio, ad ea non perveniant enemata : crassa tamen intestina talibus remediis repleta, balneum quasi præbent omnibus vicinis ; adeoque & sic prodesse poterunt.

Rarius contingit tantam esse ani constrictionem : ut tubulum pro clysmate injiciendo non admittat. In simili casu molissimis unguentis anum illinire oportet : vel balneo vaporis, dum fellæ perforatæ insidet æger, fovere, donec laxetur.

Primo clysmati mel mercuriale, manna addenda : ut aliquoties purgetur æger, & intestina

testina crassa, a fecibus & flatibus distenta, évacuentur.

Reliqua enemata ex folis emollientibus parata sufficiunt.

Quæ & necessaria sunt, licet ægri alvo soluta gaudeant.

Præplacet decoctum semen lini, radicis althææ (N. 41.), oleosis, quæ in plicis intestinorum retenta, calore loci rancescentia, acrimonia nocere possent.

Venæ sectio clysmata præcedere debet: cum observata doceant, lenissima tunc promptius operari, quam fortissima ante sanguinis missionem.

Inflammatis intestinis crassis, enemata dimidiam libram non excedant. Sic diutius retinentur, & minor metus est: ne inde magis distenta plus doleant, & patiantur.

Clysmata caute, & non nimio impetu applicanda: cum intestina non raro a flatibus distenta sint, qui inde magis in flexuras coli urgentur, & id distendendo tenuia plus comprimunt.

Fomenta ex speciebus emollientibus, & sapone continuo applicanda.

Cavendum , ne fomenta ponderosa sint, & inde dolorem excitent.

Balnea & semicupia rarius adhiberi possunt: cum ægri ob acerbitem doloris perpetuo situm mutant , & fræquenter a balneis plus angantur.

Pro remedio interno sufficiunt emulsa, decoctum ex radice graminis, radice althææ, syrupo althææ & symphiti edulcoratum. Mel enim, & oxymel nonnullis nauseosum est; hinc iis facile vomitum crearet.

Dicto decocto paucum nitri addendum: ne majori dosi irritationem, & emesin augeat.

Venæ sectionibus institutis, clysmatibus applicatis , urgente vomitu , paregoricum per vices, sed prudenti manu, exhibendum est: ut spasmi minuantur, vomitus sistatur, & locus detur retinendis decoctis emollientibus.

Nonnulli non immerito ab opio per anum injecto certiozem sperant effectum: maxime, cum quibusdam ab opio ore sumpto emesis cieatur.

Paregorica, monente Illustri van Swieten, haud conveniunt, nisi prius sanguinis
missio,

missio , & enemata adhibita fuerint: ut inflammationis augmentum impediatur. Secus facile contingit , ut gangræna inflammationi succedat.

Si depletionibus factis dolor continet; pulsus fiat tremulus , parvus, inæqualis: veficantia abdomini , & artubus adponenda sunt; moderata camphoræ dosis tentanda , quæ clysmatibus ex speciebus emollientibus , & floribus camomillæ paratis quoque admisceri potest.

Inflammationem , quæ nec benigna resolutione , aut critica evacuatione solvitur, nec in gangrænam abit, suppuratio excipit, ex prægressis , horripilationibus vagis &c. noscenda.

Facilius curatur suppuratio intestini recti, cum manibus accessus detur.

Abscessu in aliis intestinis formato, diu clauso manente , pus mora tenuius redditum in massam humorum absorbetur, & cacochymiam purulentam creat.

Si vomica in cavum abdominis rumpatur : diarrhœa ichorosa , aut febris lenta ægrum e medio tollunt. Si in cavum inte-

stinorum: diarrhœa purulenta sequitur, quæ pro diversa magnitudine abscessus, ejusque varia conditione, citius sanabitur, vel diutius protrahetur.

Contingit quandoque, animadvertente van Swieten, ut per tumorem suppuratorium, in tunica cellulosa hærentem, secedat separata a reliquis tunica interior villosa; & exeat per alvum referens figura suâ cavum intestinale tubum, non sine ægrorum & adstantium insigni metu, qui ipsum intestinum sic egredi, nullamque sanationis spem superesse putant.

Ubi suppuratio nascitur, emollientia continuanda.

Pro nutrimento serum lactis, juscula carniû propinanda, cui radices scorzonæræ, silari, cichorei incoqui possunt.

Eadem & conveniunt abscessu rupto.

Percolanda sunt juscula, ne aliquid crassi per intestina transeat, antequam ulcus sanatum fuerit.

Copiosus dein usus infusorum vulnerariorum (N. 42.) ex agrimonia, veronica, virga aurea, hyperico indicatur: partim
ut

ut humores ad intestina delati , maxime bilis diluantur , ne ulcus irritent ; partim ut eluatur de sanguine , quidquid de pure collectum hic resorptum fuerit.

Lac similibus ægris minus convenit , cum cito ace scat , & crassas copiosas feces generet : ut in infantibus solo lacte materno viventibus manifeste adparet.

Si magna puris quantitas excernatur , æger emacietur , aut viribus magis magisque labatur : decoctum ex cortice peruviano , & agrimonia utilissimum est .

Cavendum a cortice in substantia , cum crassa & dura scybala formet.

Ulcere depurato aquæ minerales feratæ , ut Spadanæ exhibendæ , quæ leniter adstringendo cicatrizationem loci adfecti promovebunt.

Ubi jam per aliquot dies nullum pus per alvum exire observatur , nullusque dolor in abdomine superest : tunc sensim solidiores cibi dari poterunt ex hordeo , oryza , pane , carnibus juniorum animalium &c. donec tandem ad consuetum in sanitate viam perveniatur.

Gangræna intestinorum raro vel nunquam medelam capit.

Verum quidem est pluribus observationibus constitisse insignem partem tubi intestinalis, gangræna corrupti, separatam fuisse superstitè vita, imò & sanitate adhuc satis commoda fruentibus postea ægris. Semper enim tunc, animadvertente Illustri van Swieten, extrorsum patebat via ichori gangrænoso, & manui chirurgi dabatur aditus, ut corrupta auferre posset, & unire separata: vel saltem superiorem intestini partem adfigere externo ulceris margini, ut artificiosa ibi pateat excrementis via, qua in hoc casu, separata parte gangrænosa, in abdominis cavum decidere necessario deberent.

Cortex peruvianus, & camphora per os & anum ingesta locum habere possent: ut in capitibus aliorum viscerum inflammatorum dictum fuit.

Enteritis, quæ nec benigna resolutione, critica evacuatione, nec suppuratione terminatur, in scirrhum abit.

Diagnosìs hujus ex prægressis; alvo tardiore; & manente gravitatis, ac distractionis sensu

sensu habetur, inprimis quando saltant, vel de gradibus celeriter descendunt ægri. Molestia augetur a durioribus, & copiosioribus cibis ingestis.

Quo scirrhus in loco a pyloro remotiori hæserit, eo diutius malum fertur. Demum in volvulum, & carcinoma abit.

Cura est difficillima. Si enim nascens scirrhus tepore blando corporis interni, saliva, succo pancreatico, bile utraque huc derivatis, resolvi non potuit: vix quidquam a remediis sperandum esse concludit Illustris van Swieten.

Vitanda scirrhu adfectis sunt alimenta aromatica, spirituosa, feces multas & duras generantia.

Vitellum ovi, spinachiam, endiviam, ferum lactis, facillime ferent.

Alvus segnior manna cum pauca terra foliata tartari, & clysmatibus sollicitanda.

Tentari possunt sapo, aquæ medicatæ, extractum cicutæ.

Curatis ex inflammatione intestinorum cibi tenues & facillimæ digestionis parce sed sæpius dandi: ut tempus concedatur disten-

tis antea sæpius enormiter intestinis, quo iterum contrahi possint, & amissum robur sensim recuperare maxime cum morbus adeo pronus in recidivam sit.

Colica flatulenta.

Frequentius hoc morbo laborant hypochondriaci, sedentarii, gravidæ, & alimentis abutentes, ex quibus aër elasticus majori copia extricatur.

Similia sunt omnia in fermentationem, & putredinem admodum prona, vel in actu fermentationis subpressa, ut vinum, cerevisia, maxime, quæ cantharis fortissimis reclusa tanta vi exsilit, & Viennæ *Flaschen Bier*, *Buttel Bier* nuncupatur.

Inter alimenta flatulenta & referenda sunt legumina, farinacea, quia his copiosus aër communis elasticus intricari poterit inter manducandum, qui deinde calore ventriculi, & intestinorum rarefactus inde iterum exit.

Cepæ, allia &c. copiosos flatus gignunt; quia & maximam quantitatem aëris continent,

nent, & acri stimulo irritant primas vias, ut spasmodice contrahantur.

Ab uvis, præcipue in debilibus, & quorum alvus clausa est, sæpe hic morbus oritur, cum multum aëris contineant. Celeberrimus Zimmermannus casum refert hominis, chorea Sancti Viti laborantis, qui post magnam quantitatem adsumptarum uvarum abdomine undique inflato periit.

Diagnosin ex prægressa diætâ, borborygmis, & dolore habetur. Qui abdominis peripheriam occupat, a leviori pressione non augetur, sed per intervalla recrudescit.

Abdomen in colica flatulenta inæqualiter tumet, & tumor locum mutat. Levamen a flatibus sentitur, sed frequentissime nec alvus, nec spiritus excernitur.

Quandoque urina subprimitur; sed abest ejus ardor, color ruber, mingendi conatus, dolor renum, nec pulsus inflammatorius tangitur.

Nonnunquam levis icterus accedit ab impedita bilis in duodenum evacuatione.

Colica flatulenta raro perniciofa est. Si vero diu intestina flatibus distendantur, para-

paralytica fieri possunt, ut vix ad contractionem naturalem redeant. In tali sacco adcumulantur ingesta, & varia inde nascuntur mala.

In actis Academiæ Parisinæ exemplum habetur hominis, qui cerevisiam non fermentatam ingurgitans omnibus remediis frustra tentatis periit, intestina incredibiliter distenta erant.

Leguntur & exempla gangrænæ colicam flatulentam excipientis: dum inflammatio a spirituosius imprudenter exhibitis oritur, aut nervi vasæque comprimuntur.

Venæ sectio non convenit, nisi metus inflammationis eam imperet.

Optimum auxilium sperandum a clysmatibus.

Prima emollientia ex oleo, aqua, & melle omni hora injicienda: sequentibus uncia una falis gemmæ addi potest.

Minus conveniunt enemata ex carminativis: cum irritatis intestinis pertinacius nonnunquam flatu includantur.

Profunt

Profunt postea inunctiones ex unguento calendulæ , oleo menthæ , camphora (N. 43.), & emplastra carminativa ut de cumino (N. 44.).

Interne vix præstantius est remedium, ac infusum saturatum seminum quatuor calidorum theiformiter haustum : cum tepore spasmi solvantur , & grata hæc aromata blando stimulo has partes in æquabilem contractionem irritent.

Helmontius jam semen amisi solamen intestinorum vocavit.

Sed oleum hujus ad guttas quadraginta vel centum , ut Allen in saccharo exhibendum¹ suavit , periculofum videtur.

Omnia aromata ; imprimis si cum vini spiritu destillati inde liquores propinentur, nisi ilico juvent, pessime nocent : cum a nimis valido vel sæpius repetito horum stimulo augeantur spasmi , & inflammatio facile sequatur , vel jam præsens plurimum augeatur.

Alvo adstricta, præcipue si ventriculus nimis oneratus fuerit , infuso (N. 45.) seminum quatuor calidorum uncia semis vel uncia

uncia una falis amari, Segnetti, thermarum Carolinarum cum effectu additur.

Ubi colicam flatulentam abusus carniū præcessit, & ructus ova putrida redolentes eructantur: præter clysmata crebriora, & ea, quæ de colica biliosa dicentur, guttæ triginta spiritus falis dulcis, aut liquoris anodynæ mineralis, aliquoties ex aqua sumptæ profunt.

Hypochondriacos, hystericos medicamenta ex mentha, melleffa &c. quandoque solantur (N. 45.).

Quibus periodice levior colica flatulenta redit, iis prodesse poterit pulvis carminativus Dispensatorii Brandenburgensis

℞ Semin. carv.

cumin. aa. unc. ℞.

zingib. alb. scrup. ij.

croc. austriac. scrup. ℞.

m. f. pulv. subtiliss. dosis scrup j gr. xxx.

Si ægris alvus segnior, drachma radicis jalappæ toti massæ addenda.

In summo motuum impetu paregorica per os & anum cauta manu ingerenda: cum Baglivius, & alii præstantissimi Practici a largiori

giori & repetito opiatorum usu in colica paralyfin succedere viderint.

Monet & Celeberrimus Tralles (a): ut ii, qui ex tono debili inducto facile irritabiles sunt, & ex levissima causa, ut diætæ errore, animi pathemate tormina experiuntur, opio non utantur, ne pauxillum, quod roboris superest, magis infringatur, & peristalsis ac alvus segnior nascatur.

Si colicæ flatulentæ intestinorum resolutio, aut atonia juncta sit, quod ex cognita ægri natura, majori inflatione, & pertinaciori alvi obstructione noscitur; abstinendum ab omnibus aquosis, oleosis, emollientibus: verum frictions, clysmata ex cortice peruviano, camomilla (N.47.); pilulæ ex extracto corticis resinoso, marte, gummi ferulaceis, pipere contuso (N.48.); vel vinum ex limatura martis, cortice peruviano (N.22.) propinandum.

Frequenter nunc a quibusdam roborandi scopo exhibetur & aliis martialibus præparatis antepositur æthiops martialis dictus,

M

qui

(a) Part. II. pag. 235.

qui terra martialis est ex vitriolo martis artefacto in aqua soluto ope salis alcalini fixi præcipitata, cui ex impastatione cum oleo lini aut olivarum, subsequutaque calcinatione moderata phlogiston ex parte restitutum fuit.

Est igitur crocus martis partibus oleosis dotatus; unde etiam niger evasit. Adtrahitur quidem hic pulvis a magnete, at tamen ea nullatenus velocitate, ac ferri recenter limati pulvis, ut vel ideo, dum recens, æthiopi huic præferendus sit.

Colica biliosa.

Colicæ biliosæ nomine duplicem morbum describunt Autores. Unum ubi bilis per calores &c. acrior facta, aut ex quacunque causa copiosius secreta in intestina tenuia effusa aut in duodeno diutius retenta dolores creat. Alterum, ubi dolores & spasmi a bile crassiori, vel a calculo felleo ductum choledochum obstruente, nascuntur.

De priori hic agam, de altero inter morbos chronicos sermo erit; cum testante

Celeberrimo Tralles (a) ille dolor vix jure colicæ biliosæ nomen gerat, qui a calculis felleis excitatur.

Colica biliosa maxime æstate invadit, & ut plurimum viros, adolescentes, calore, ira excalectos adgreditur.

Ingluvies, abusus carniùm præcipue ferinarum, suillarum subrancidarum, tempus anni calidissimum, motus corporis & animi vehementior morbo huic generando favent.

Diagnosin præbent prægressa, urina pauca ruffa, ructus fœtentes, amarities oris, lingua fordida, nausea, vomitus biliosi, cum siti, calore majori, ac dolore præcipue in regione intestini duodeni.

Nonnullis alvus obstructa est, quidam dejectionibus biliosis fœtidissimis laborant.

Prognosis differt pro ratione ætatis, vehementiæ morbi: senes enim, & exhausti, plus periclitantur.

Ut plurimum majus discrimen, ubi alvus adstricta.

M 2

Deni-

(a) Tom. II. pag. 240.

Denique morbus in choleram, aut male tractatus in febrem putridam abire valet.

Cura varia est pro diversitate temperamenti, virium, ac symptomatum.

Aetas juvenilis; hæmorrhagiæ subpressæ, spirituosorum abusus, violentia febris, doloris intensio sanguinis detractionem suadent.

Malo provecto, viribus fractis, pulsu debili, venæ sectio vitanda.

Colica biliosa adfectis clysmata ex speciebus emollientibus addito melle frequenter injicienda sunt.

Medicamenta indicantur acidiuscula, leniter solventia, ac alvum moventia, putredini resistentia: ut serum lactis tamarindinum, decoctum ex tamarindis, acetosa, cum terra foliata tartari, nitro, syrupo ceraforum acidorum &c. (N. 49.).

Decoctum hordei, avenæ, cum oxymelle simplici, syrupo rubi idæi aut acetositis citri edulcoratum, vel serum lactis cum spiritu vitrioli paratum largiter potandum.

De emeticis in colica biliosa dissentiunt Autores.

Mihi

Mihi nociva videntur in malo ab animi pathemate, vel calore excessivo originem ducente. Ubi vero ex ingluvie, vel abusu carniū ferinarum, suillarum morbus natus: in principio ejus, præcipue si ingens anxietas & sensus ponderis in scrobiculo cordis notetur, lene emeticum ex ipecacuanha & rhabarbaro arridet (N. 50.).

In vomitu ita exorbitante, ut vires emungantur, mixtura Riveriana (N. 51.) tentanda: dein fomenta ex infuso vinoso menthæ, melissæ regioni ventriculi applicanda.

Urgente necessitate emplastrum de crusta panis cum opio & camphora ad scrobiculum cordis convenit.

Demum paregorica per vices sed caute exhibenda.

His non proficientibus clysmata ex speciebus emollientibus & carminativis addito grano uno, aut altero opii injicienda. Verum hic magna cautela opus est, ne paralysis succedat.

Vomitu per hæc remedia fugato decocta hordei, avenæ, acetosæ strenue haurienda:

da: quibus, ubi alvus filet, vires redeunt, lingua tamen spurca, urina colorata, abdomen tensum & inflatum manet, tamarindi, crystalli tartari addi possunt, ut bilicosum in cavo ventriculi & intestinorum adhuc contentum evacuetur.

Cum hæc colicæ species crebro revertatur, debellato morbo pinguia, aromatica, spirituosa evitanda; alimentis alvum leviter moventibus, bilem corrigentibus utendum: ut fructibus horæis, spinachia, endivia, scorzonera &c.

Quandoque morbo superato appetitus imminutus, tensio quædam in regione ventriculi, & duodeni notatur, ægri magis flavescunt. Iis decocta vel succi solventes, & aquæ minerales utilissimæ sunt: ut Selteranæ, Ruitschenses cum vino Austriaco.

Si vires magis langueant: pilulæ ex sapone veneto, gummi ferulaceis, floribus salis ammoniaci martialibus, extracto rhei locum habent.

C A P U T X.

D E

Ileo.

Pertinacissima alvi obstructio cum vomitu Arabibus passio iliaca, recentioribus ileus, & perperam volvulus audit; cum ileus absque convoluzione vel introsusceptione, & hæc absque ileo occurrat.

Morbus hic inter inflammatorios locum habere videtur: cum vel inflammationem ut causam agnoscat, vel illam brevi producat.

Willisius[†] omnibus in ileo defunctis intestina inflammata, & sphacelata reperiit. Clarissimus Simson testatur (a) se magnum numerum aperuisse hoc morbo mortuorum, semperque invenisse validam inflammationem intestinorum.

Parum ad curam refert, an ab antiperistalsi, an a solo motu diaphragmatis & mu-

M 4

mu-

(a) Medical essays Tom. V. part. II. pag. 664.

musculorum abdominalium dichrono & reciproco, ut Haguënöt voluit, ileum repetamus.

Sufficiat, quod ea ileum producant, quæ diametrum canalisi a ventriculo ad anum usque multum minuunt, aut integre obturant.

Talia sunt intestinorum præcipue ilei, peritonæi, musculorum abdominalium inflammatio, tubi intestinalis callosa crassities, ejus angustatio a fecibus induratis exsiccatis, nidis vermium, calculis vel ibi natis vel ex hepate eo delatis, a glutine inspissato indurato, abscessibus, scirrhis, carcinomate.

Denique apud non perforata in infantibus; hæmorrhoidum subpressio; colica saturnina, venena; parietum intestinalium post vulnera, ulcera concretio; tumores mesenterii, pancreatis, uteri, ovarii morbum hunc producere valent.

Vidit Friburgi supra laudatus Baaderus ante triennium in nobili virgine ileum lethalem ex tumore ovarii dextri intestinum ileum
cristæ

cristæ ossis ejusdem nominis adprimentem, & cavum intestini perfecta thlipsi delentem.

Frequens causa ilei hernia est. In gravidis non raro intestina tenuia in annulo, vel umbilico sine ullo tumore extus sensibili stringuntur.

Legitur & in Transactionibus Anglicanis ileus natus a spasmis motibusque convulsivis diaphragmatis & musculorum abdominalis, quibus intestini coli pars in illum hiatus urgebatur, qui inter musculorum diaphragmatis appendices est, & per quem naturaliter nervi intercostales descendunt.

Convolutionem intestinorum plurimi, ut & Illustrissimus van Swieten in dubium vocant, cum vix concipi possit: quomodo intestina mesenterio adnexa ita circumtorqueri valeant, ut cavum illorum inde clauderetur. Testatur quidem Ruyschius: quod id putrefacto prius mesenterio viderit, adeoque nexu illo soluto hoc fieri posset: verum tunc prius a gangræna mesenterii jam mortem sequi existimant, cum ejus læsiones adeo periculosæ sint. Interim similes casus apud Platerum, Lazarum Riverium, Barbette leguntur.

Inter causas ilei numeratur & introsusceptio intestini, dum portio spasmō contracta, tenuis & angusta reddita in contiguam ejusdem intestini partem sæpe ad notabilem longitudinem ingreditur, sicque liberum transitum per cavum intestini interceptit.

Illustriss. Hallerus innoxiam intestinorum introsusceptionem credit, & huic degenerationi minime ileum tribuit (a).

Notat & Illustris van Swieten in brutorum viventium intestinis incassum tentatum fuisse morbum hunc imitari, & quod in cadaveribus difficulter efficere possimus, ut intestini pars proximam ingrediatur. Subjungit tamen idem Vir Celeberrimus: quod autopsia docuerit hoc factum fuisse, imo frequentius quam vulgo credi solet.

Neque semper superior pars inferiorem ingreditur, sed & contrarium observatum fuit.

Incipit ileus cum obstructione alvi, dolore abdominis maxime circa regionem ilei,
qui

(a) Opuſc. path. Obſ. XXVII,

qui successive augetur, in principio per intervalla affligit, dein fixus urens in eadem parte persistit.

In loco dolente tumor quandoque adparet renitens, oblongus, chordam tensam referens; unde & chordapsus dicitur.

Accedit pertinacissima alvi obstructio, conatus ad vomitum, dein vomitus ipse alimentorum ultimo sumptorum, bilis, materiæ putridæ, demum clysmatum, fecum, subpositoriorum: ut Celeb. Gorter (a), Gaubius (b), & alii observarunt.

Multis difficile imò impossibile videtur, quomodo ex crassis contenta venire valeant in ileum intestinum, uti etiam quomodo locum illum, in quo volvulus hæret, superare potuerint. Verum si consideretur inverso hoc peristaltico motu ileum evacuari, cæci finem quam maxime urgeri, & latera ejus distrahi: adparebit, animadvertente van Swieten, & hoc fieri posse.

Celeberrimus de Haen exemplum refert tympanitici volvulo defuncti, in quo
coli,

(a) Prax. medic. system. pag. 216.

(b) Instit. pathol. Medicinal. pag. 440.

coli, cæci, ileique diameter adeo aucta fuit, ut valvula Bauhini ne tertiam forte aperturæ partem tegetet.

Ileus ex inflammatione ortus ex præcedenti capite intelligitur.

Scirrhum adesse suadent: si æger antea de ponderis sensu in loco fixo conqueratur; si per longius tempus vix alvum deponat; si summe angatur, & revomat, quæ hoc tempore sumpserrat absque stercoreo illo odore adparente in his, quæ vomitu rejiciebantur.

Signa introsusceptionis incerta sunt: eam vero suadent, si nulla alia causa præcessit; si dolor magnus, continuans diu in eodem loco immutatus hæreat, & si ibidem major expansio cum aliquo motu notetur.

Prognosis semper anceps, maxime in exhaustis, & ætate proVectis.

Recidiva, quæ frequens, periculosior.

Ileus ex inflammatione paucis diebus jam lethalis. Secus observata nos docent per plures septimanas durantem hunc morbum curatum fuisse.

Tremor, deliria, singultus, convulsiones,

næs , diarrhœa ichorosa , extremorum frigus infausti sunt ominis.

Iliaci ut plurimum gangræna pereunt. Sed non raro suffocati moriuntur : dum a dolore , spasmisque abdominis actio diaphragmatis , & muscutorum abdominalium impeditur , & inde sanguis in pulmonibus accumulatur.

Aretæus quoque notavit , quod solus dolor in passione iliaca sæpius necet.

In infantibus acerbitate doloris convulsis , dum ab acri materia intestina irritantur , mors sequitur , antequam inflammatio aut gangræna nascatur.

Si alvus solvatur , bonum signum. Sed & hæc non semper superatum malum significat , cum ex loco magis inferiori eam excernere possint ægri.

Cura varia est pro ratione causæ &c.

Ileus ab inflammatione tractandus , ut in cap. de colica dictum.

Venæ sectio in omni fere ilei specie necessaria ob metum inflammationis.

Conveniunt quoque fomenta , balnea ,

&

& clysmata emollientia. Dein ad enemata acriora descendendum.

Efficacissimus est fumus tabaci omni hora aut altera ano immissus.

Experientiæ & rationi contradicere videntur ii, qui hæc enemata rejiciunt, & ea tantum fabris ferariis ad sanandos equos concedunt (a).

Instrumentum optimum descripsit Clarissimus Schæffer (b).

Nonnunquam incassum adhibitis clysmatibus ex nicotiana tartarus emeticus ad quinque, sex, octo grana ano injectus profuit.

Si forte obstaculum quoddam immissioni fumi sese offerret: videndum, num non feces obturent intestinum rectum, quæ convenienter removeri deberent.

Laudantur & purgantia interne sumpta.

Inter drastica celebres olim fuere pilulæ iliacæ Rhasis, quæ colocynthidem, scammonium, sagapenum recipiebant. Sydenhamus

(a) Encycloped. Tom. III. pag. 587.

(b) Der Gebrauch und Nutzen des Tabakrauchs, clysters nebst zweyen dazu bequemen Maschinen 1766.

mus substituit massam pilularum cochiarum in aqua menthæ solutam.

Verum similia vix propinanda ob inflammationem facile succedentem.

Uncia falis amari in libris binis aquæ soluta, vel sal thermarum Carolinarum ex jusculo sumptus non raro cum successu exhibetur: si singulis quinque aut sex minutis duo cochlearia propinentur.

Si vomitus aut dolor admodum urgeat: venæ sectione & clysmatibus præmissis, suadente van Swiaten ad paregorica confugiendum.

Mead anodyna purgantibus mixta exhibenda vult. Verum melius est, observante Celeberrimo Tralles, opio purgans subjungere: necessitate postulante purganti iterum paregoricum substituere, sicque alternis vicibus pergere sub attentione debita, an, quando, & qua dosi hoc vel illud exhibere expediat.

Merito quoque in ileo laudantur temperata vesicantia abdomini adplicata.

In mutuo intestinorum ingressu suadentur globuli plumbei deglutiendi.

Qui

Qui varios intestinorum gyros considerat, satis intelliget: non tantum boni expectari posse in ileo a globulis plumbeis sclopetariis, ac quidem multi crediderunt.

A parvis globulis plumbeis (Schrott) inter plicas ilei morantibus sphacelus in illo loco observabatur, reliquis intestinis, & ventriculo illæsis (a).

Commendatur & a claris in arte medica viris argenti vivi usus: licet eum improbaverit Sydenhamus.

Cum enim admodum penetrabile, & post aurum ponderosissimum sit, poterit quandoque expedire vias, animadvertente van Swieten.

Exhiberi solet præmissis, & desuper hauriendo aut jusculo pingui aut haustu oleoso, incipiendo a libra semis ascendendo ad libras duas, tres.

Tutissime majori copia sumitur, tunc enim collectus manet, facilius & citius per alvum elabatur. Ubi diu hæret in corpore, & per venas bibulas intestinorum sanguini miscetur: alia mala producere valet.

Fri-

(a) Act. natur. curios. Vol. X, pag. 22.

Fridericus Hoffmannus libram semis purissimi argenti vivi dato prius pingui jusculo, & superpotato dein brodio carnis, cum aliquot unciis olei amygdalarum exhibuit. Post quinque horas alvus solvebatur, & simul uncia circiter argenti vivi exhibat cum levamine omnium symptomatum. Per quatuordecim dies & ultra fecibus alvinis permista adparebat portio argenti vivi. Verum restauratis jam viribus tremor in artibus & impotentia in manibus ultra mensis spatium manebat (a).

In Anglia & Scotia (b) panaceæ fere instar laudabatur: si mane uncia una aut altera argenti vivi fumeretur, quod multi fecerunt per plures hebdomadas absque ulla sensibili evacuatione aucta. Interim tamen constitit, quod licet non ilico nocuerit, postea tamen damna intulerit.

Miri & insuperabiles morbi illorum, qui argentum vivum quotidie ad sua artificia adhibent, caute hic procedendum esse satis evincunt.

N

Cum

(a) Med. ratio. Tom. IV. Part. II. pag. 335.

(b) Medical essays. Tom. III. pag. 387.

Cum signa pathognomica deficient, ex quibus cum certitudine concludere possimus; an volvulus adsit, & si adest, an pars superior in inferiorem, an inferior in superiorem intrusa sit: eventus horum remediorum semper fallax erit, imo in eo casu, ubi pars superior intraverit, vix non semper lethalis; cum malum augeat protrudendo intestinum susceptum ulterius in proximam partem dilatatum.

Parum quoque ponderosum hoc fluidum efficere valet, si intricata aut nodosa in aliquo loco implicatio adsit. Et in ileo ab hernia incarcerata magis nocere, quam prodesse videtur.

Hinc omnia tentanda, antequam metalla hæc exhibeantur.

Extollitur a multis in ileo aurum fulminans, damnatur ab aliis. En paucis, quæ sentio.

Aurum in aqua regia solutum, mediante sale alcalino præcipitatum pulverem exhibet, sive calcem luteam metallico salinam, quæ sponte exsiccata leni ignis, radiorum solarium calore, aut solo adfrictu omnia ei resi.

resistentia summa cum explosione & adstantium periculo disjicit. Aqua regia ad hunc processum secundum Dispensatorium Viennense parata est spiritus nitri tantam continens falis ammoniaci copiam, quantam solvere, ac frigide solutam retinere valet.

Credebant nonnulli hanc auri calcem fulmine suo inferiora tantum concutere, & theoria hac ducti id in pertinacissimis alvi obstructionibus exhibebant.

Verum constat remedium hoc non solum inferiora versus, sed in omnem partem æqualiter fulmineum ictum exercere, cunctaque corpora ei resistentia subito disjicere.

Dum inflammatur, majori quidem impetu in partes plus resistentes agit. Verum si in corpore nostro id præstaret, citius membranacea intestinorum structura creparet, quam ut impedimentum tolleretur.

Quare calcem hanc metallico salinam virtute diaphoretica, subinde etiam purgante præditam venenis quidem non æquiparandam, inefficacem vero ad pertinacissimam illam alvi obstructionem solvendam censeo.

Hinc cum tutiora, certiora, & minus

pretiosa pharmaca possideamus, hoc facile carere possumus.

Vidi hoc remedium sæpius ab aliis, sed semper frustra exhibitum.

Non sine voluptate recordor amici in Illustrissima domo decumbentis, qui systemate nervoso admodum mobili præditus ex leviori animi pathemate, & diætæ errore, dolore circa & supra umbilicum correptus fuit cum validiori alvi obstructione, inappetentia, urina magis tincta &c. Dum vocarer, clyσμα ano injiciendum, & decoctum ex radice graminis addito semine anisi cum sale mirabili Glauberi, & syrupo quinque radicum apierientium summendum suasi. Inde nec symptomata minuebantur, nec alvus sollicitabatur. Altera die abdomen magis tenium, dolor vehementior, ructus frequentiores. Repetebantur clysmata, abdomini fomenta adplicabantur, aqua laxativa cum sale amaro exhibebatur. Verum augebatur dolor, fitis: hinc ad inflammationem præcavendam pulsu sat pleno vena bis secabatur, & sanguis levi crusta tectus educebatur. Accedebat vomitus adsumptorum &
mate.

materiæ biliosæ cum exacerbatione doloris. Recurrebam ad opium, cui purgantia sub-
jungebam; balneo æger immergebatur, sed
incassum. Proposueram binis Medicis in con-
siliū vocatis enemata ex fumo nicotianæ.
Annuebat unus horum, Vir in arte Clarissi-
mus: alter vero solam spem in aurum ful-
minans collocabat.

Ne pertinaciæ arguerer, tentavi hoc
remedium, sed symptomata omnia augeban-
tur cum summa virium jactura. Adplicaban-
tur demum, & repetebantur enemata ex ni-
cotiana, ita ut fumus per os prodiret, tan-
dem pluries æger alvum copiosam excerne-
bat cum malorum omnium levamine. Sed
post triginta horas absque minima causa re-
dibant dolor, & vomitus vehementior lon-
ge ac antea.

Clysmata ex tabaco nihil juvabant, sed
abdomen ad crepaturam usque extendeba-
tur. A paregoricis sumptis emesis augeba-
tur. Tulit quidem solutionem salis Sedli-
zensis fumendo desuper cochlear cafe vini
Tokaviensis. Sed alvus pertinacissime clau-
sa manebat.

Balneo ex aqua & lacte sæpius utebatur. Post balneum subpositoria & clysmata modo acerrima modo emollientissima injiciebantur, vapores aquæ calidæ per fellam perforatam ano admittebantur, abdomen unguento althææ & artanitæ inungebatur, oleosa interne tentabantur; sed malum alias adeo radices agebat, ut pulsus jam tremulus, parvus, inæqualis esset, oculi caliginosi, vox deficiens, facies cadaverosa. Accedebat singultus, extremorum frigus.

In lethali hoc statu nullum mihi supererat remedium, quam cucurbitæ majores: sed has media reperire nocte nemo sciebat. Bona fortuna vasa fictilia (porcelaine) ex quibus absinthiten haurire hic solent cucurbitis non absimilia vidi, quæ urgente necessitate adplicari jussi. Mox inde notabile sensit levamen æger, & adpositis aliis alvus copiosissima cum abolitione omnium symptomatum sequebatur. Continuabam tamen per aliquot dies enematibus, & infuso camomillæ cum sale thermarum Carolinarum.

Morbo

Morbo superato vox rauca manebat, quam colicæ frequenter succedere observavit Baglivius. Dein sputa purulenta copiosissima ejecit, quæ decocto corticis peruviani & lichenis islandici cum lacte cedebant. Amissum robur pilulis ex extracto corticis aquoso, & resinoso, extracto martis & rhei brevi restaurabatur, ut hodiedum integerrima gaudeat valetudine æger.

Felicissimos recenset effectus Expertissimus Galleky (a) ab oleo lini recenter presso, pellucido, parum citreo, non acri, aut profunde flavo. Omni hora vel bihorio cochlear hujus ex cerevisia calefacta, vel cum guttulis aliquot olei anisi mixtum exhibuit, præmissis ad vomitum sedandum opiatibus, injectis simul clysmatibus. Quod si excretio alvi incepit dosin imminuit, & dein bis vel ter cochlear continuandum jussit. Raro ultra octo uncias exhibuit: nonnunquam tertium cochlear jam voto respondit etiam in illis casibus, dum quasi feculenta

N 4

jam

(a) Abhandlung vom Nisereere.

jam ejiciebantur , maxime ubi morbus nephralgiæ calculosæ junctus erat.

Nostri olea hæc nauseosa sunt , & ea vel non adsumunt, vel non ferunt, vel vomitus excitatur. Similibus ab hoc remedio abstinendum.

Suadent nonnulli, ut abdomen discindatur, intestina educantur, volvuli locus quærat, inventus digitis explicetur, dein intestina reponantur, & abdomen consuatur.

Felicem similem casum Celeberrimus Nuckius refert. Verum optime monet van Swieten (a): quod non tam facile determinare quis possit, an volvulus adsit, vel non, neque tam facile cognosci locus, ubi hæreat; cum abdomen tensum turgeat, & per totum doleat, ubi morbus in perniciem tendit.

Quidam ut Alexander Benedictus, Mercatus frigidæ potu ileum superatum referunt. Celeberrimus Home insersionem aquæ frigidæ

(a) Tom. III. pag. 182.

gidæ in abdomen, femora, & crura nuda suadet, & alvum inde feliciter sæpe solvi observavit. Sed multa in præcipiti periculo recte fiunt, alias omittenda.

Idem de machina Clarissimi Joannis Videmar Medici Mediolanensis (a) existimo, qua liquida tanto impetu ano injiciuntur, ut vomitu rejiciantur.

Monente Celeberrimo Unzer omnia prius tentanda: cum hæc machina quandoque quidem prodesse possit, crebrius vero certam inferre mortem videatur.

In ileo ab hernia repositio facienda. Si pars multum tumeat, & inflammata sit: venæ sectiones, clysmata ex nicotiana, opiata, fomenta locum habent.

Laudantur quidem epithemata emollientia; sed Illustrius Vogel ea plus obesse, quam prodesse credit, dum regressum intestini impediunt, & flatuum vim ac contentorum putredinem in tumore augent. Hinc

N 5

fo.

(a) Giornale di Medicina Tom. II. pag. 245.

C A P U T XI.

DE

Nephritide.

. 201

In nephritide dolor ab initio obtusus, dein acutus pulsans percipitur versus lumbos ad trium circiter digitorum transversorum distantiam a spina dorsi infra tertiam costam ab ima numerando.

Familiaria sunt nephriticis nausea, vomitus, urina flammea, quandoque subpressa.

In malo graviori horror totius corporis, alvi constipatio, anxietas, & constrictio præcordiorum, colica, ischuria, convulsio ægros adfligunt.

Stupor cruris, retractio testiculi in nephritide calculosa sæpius, quam in inflammatoria observantur.

Vidit Illustris van Swieten quandoque inflammationem renum absque hoc symptomate.

Fre-

Frequentiorem credit Celeberrimus Hoffmannus inflammationem renis sinistri: cum ob adjacentem flexuram coli flatibus, aut fecibus induratis distenti comprimi valeat.

Discernitur nephritis a lumbagine inflammatoria, quod in illa æger antrorsum flexus truncum sine notabili dolore erigat: in lumbagine vero id peragendo atrociter doleat.

Causæ præcipue nephritidis sunt: vis externa, equitatio, concussio in rhoeda, hæmorrhagiæ subpressæ, aphrodisiaca, diuretica, calculus, materia arthritica, decubitus diuturnus in dorsum, nixus validus, dum renes a musculis dorsi comprimuntur.

Morbus benigna resolutione, hæmorrhoidibus, aut urina copiosa crassa potum cafe dilutiorem referente tollitur.

Non requiritur in nephritide ad iudicium formandum, ut urina subsideat. Sufficit sedimentum inæquale & divulsam, cum materies morbi, licet crudior sit, cum urina exire possit, nec opus habeat, ut antea, pro ut in aliis morbis acutis, sanguini misceatur.

Peri-

Periculum variat ratione symptomatum, subiecti &c.

Subitanea doloris remissio, excretio urinæ nigræ cum carunculis, sudor frigidus, pulsus inæqualis debilis &c. lethalem formant prognosin.

Cura a venæ sectionibus repetitis inchoanda.

Si hæmorrhoides tumeant, ad hirudines recurrendum,

Indicantur & cataplasmata, fomenta, balnea, clysmata emollientia.

Si alvus adstricta, & repletioris habitus æger: purgantia antiphlogistica ex tamarindis, manna conveniunt. Secus decoctum ex radice graminis, althææ cum paucis nitro, decoctum hordei cum oxymelle & emulsa sufficiunt.

Cavendum a diureticis fortioribus, lecto calidiori, & decubitu in dorsum: cum hæc febrim & inflammationem augeant, urinam acriorem reddant, & humores ad has partes determinent.

Ubi a calculo morbus ortus: vomitus urget, quo quandoque calculus ejicitur.

Hic

Hic aqua calida & mellitis promovendus, qua adsumpta facilius, & minori cum anxietate vomunt ægri, ac vacuo ventriculo.

Urgente dolore, ut convulsions metus, venæ sectionibus institutis, & diluentibus præmissis ad opium confugiendum.

Celeberrimus Home in magna inflammatione viarum urinarum per calculum symptomata aucta vidit, ubi sanguine crusta obducto laudanum exhibebatur.

Calculo excreto vel a diathesi humorum, vel a materia sabulosa in corpore remanente non raro alius novus iterum generatur, & malum prius denuo metuendum.

Varia laudantur lithontriptica, Anglicanum ex sapone Hispanico, & calce ostrearum, opercula limacum calcinata, uva ursi, aqua calcis ex ostracodermatum calce parata.

Vidi quandoque unum, quandoque alterum ægris profuisse, frequentius tamen nullum ex his levamen tulisse.

Multos, qui arenulas, vel minores calculos per urinam cum molestia, stranguria, & colica sæpius redeunte excernebant, sequen-

ti pulvere sanavi, dum singulis vel alternis diebus drachmam ablumerent.

℞ olei cortic. aurantior. gut. vj.
 f. cum sacchar. alb. unc. β eleofacch,
 cui add.
 uvæ urs. unc. β.
 pulv. gumm. arabic. dr. ij.
 radic. jalap. dr. j.

m.

Ubi horripilationes prægressæ, ponderis gravantis sensus, tensio magna vicinarum partium pus maturum in abscessu renali collectum hærere suadent: nitendum omni ope, ut vomica rumpatur, ne pus diu relictum putrescat, sinuosa ulcera producat, vel resorptum cacochymiam purulentam, & tabem faciat.

Hinc clysmata, cataplasmata, & medicamenta emollientissima exhibenda: dein per tussim, sternutationem, vectionem in rhæda ruptura abscessus quantocyus tentanda.

Sæpe in pelvim rumpitur, & pus per urinam exit, quod subito fundum vasis petit, cum non bene urinæ mistum sit.

Pus primo prodiens imprimis, si diutius

tius vomica clausa fuerit, fere se nper foetidum, & quandoque sanguinolentum est.

Si subsequens leve, æquale, album sit: spes multa adfulget sanitatis recuperandæ.

Quo magis ab his qualitatibus recedit, eo pejus.

Dum pus per urinam excernitur, emulsa, serum lactis, lac asininum, decoctum agrimonix, virgæ aureæ, aquæ Selteranæ cum anatica parte lactis largiter haurienda: ut mitigetur urinæ acrimonia ulcus adluentis.

Conveniunt dein balsama nativa.

Merito commendat Illustris van Swieten sequentes pilulas:

℞ Succ. glycyrrhiz. inspissat. unc. j.

Balsam. copayb. dr. j.

f. pilul. gr. iij. sumendæ num. viij. omni quadrihor. superbibendo serum lactis vel decoctum vulnerarium.

Balsama largiori dosi, & absque diluentibus datis nimis calefaciunt, & stimulant, imo stranguriam molestam producant, & urinæ vias imprudenti usu inflammant.

Dictorum remediorum usu pergendum, donec nullum amplius pus in urina adpareat,

reat, tunc roborantia & consolidantia, ut mastiche, olibanum, sarcocolla in usum vocanda.

Memorabilem ante biennium suppurationis renum curatæ casum habui in Chirurgo, cui munificentia Augustæ remedia exhibebantur.

Ex inflammatione renum ab hæmorrhoidibus subpressis in suppurationem incidit. Pluribus mensibus varia incassum remedia sumpsit, & malum altas adeo radices egit, ut eum accedens tabidum, summe febricitantem deprehenderem.

Excernebat quotidie cum urina magnam puris fœtentis quantitatem. Siti, stranguria, tenesmo, alvo obstructa laborabat æger. Primo decoctum ex cortice peruviano, & agrimonia exhibui. Decoctum lichenis islandici cum lacte & aqua pro potu erat. Clysmata emollientia ano injiciebantur. Ob noctes infomes, anxietates, & dolores colicos paregoricum propinabatur.

Minuebatur ab his febris, & materiæ purulentæ excretio: vires parum redibant.

Transivi ad pilulas ex sarcocolla, ma-
O stiche,

stiche, gummi arabico, balsamo copaybæ; sed sub usu horum valida iterum incendebatur febris, quam omissis balsamicis, decocto corticis, & emulsionibus largiter sumptis denuo debellavi. Verum continuabat æger magnam puris quantitatem excernere cum summa virium prostratione, & corporis extenuatione. Hinc relictis his omni nycthemero sequentem mixturam adsumpsit.

℞ aqu. flor. rhoead. lib. j.
 extract. cort. peruv. resinof.
 gumm. arabic. aa. dr. ij.
 pulver. uvæ ursi. dr. j.
 syr. papaver. alb. unc. ij.

m.

superbibendo aquam calcis cum tripla lactis portione.

His longo tempore usurpatis omnia symptomata minuebantur. Hinc pilulas ex mastiche, uva ursi, balsamo copyabæ & extracto corticis peruviani resinoso denuo præscripsi, quibus, & aquis Spadanis integræ sanitati restitutus fuit.

Quandoque ubi ren intestino colo adcretus, hoc perforato pus per alvum exit.

Ea

Ea tunc indicantur, quæ in suppuratione intestinorum laudabantur.

Nonnunquam abscessus versus exteriora fit, qui licet aperiatur, sæpissime fistulas relinquit.

Si post tempus maturationis elapsum dolor & febris cessant, atque tumor durus cum dolore pressorio remanet, urina pauca aquosa excernitur: scirrhum immedicabilem fere natum noscimus.

Inde claudicatio, paralytis pedis lateris adfecti a musculo psoas, & nervis ad artus inferiores ex medulla spinali compressis.

Occurrunt quidem aliorum adhuc viscerum inflammationes: ut lienis, mesenterii &c. Sed de his in separato agere superfluum videbatur, cum facile ex prioribus intelligantur.

CAPUT XII.

DE

Rheumatismo.

Rheumatismi nomen rarius occurrit apud veteres Medicos : sed dolores omnes artuum , ac externi corporis arthriticos vocarunt.

Ipse Boërhaavius in prima aphorismorum suorum editione nullam rheumatismi mentionem fecit.

Recentiores eum definiunt dolorem atrocem , dilacerantem ; ad minimum motum sævissime auctum ; juncturas artuum obsidentem ; genibus , lumbis , & coxendici magis infestum ; quandoque cerebrum , pulmones , & reliqua viscera excruciantem.

Periodicus itus & reditus , qui a Boërhaavio definitioni adjicitur , non semper animadvertitur.

Rheumatismus quandoque universum fere corpus adficit : quandoque partem tantum occupat.

Do-

Dolor ingens, fixus circa regionem lumborum ad os sacrum descendens, nonnunquam ipfos renes, ureteres, & vesicam petens lumbago rheumatica audit. Similis dolor coxam occupans malum ischiadicum dicitur.

De sede rheumatismi differunt Auctores.

Fridericus Hoffmannus eam collocat in omnibus musculis, horum membranis, tendinibus, locis inter articulos mediis. Imo articulorum dolores ad rheumatismum referri posse judicat: si malum simul media inter articulos spatia occupet, ut musculos, membranas, periosteum.

Immortalis Boërhaavius in capit. de rheumatismo non meminit muscutorum, & eorum membranarum.

Celeberrimus Pringle in rheumatismo dolentes articulos notat.

Verosimile est: quod hic morbus non solum articulos, sed & expansiones tendinosas, aponeuroticas dictas, obsideat, quibus muscoli v. g. colli, dorsi &c. teguntur.

Distinguitur rheumatismus in febrilem & apyretum.

De prima specie hoc tomulo tractare animus est : de altera inter morbos chronicos in capite de arthritide agam ; cum arthritidis & rheumatismus permultas causas remotas tam internas quam externas inter se communes habeant, & Viri in arte Clarissimi, ut Celeberrimus Ludwig (a), & Vogel (b) existiment, rheumatismum ab arthritide parum, & nonnisi loco adfecto differre.

Rheumatismus calidus distinguitur in inflammatorium, & in eum, quem febris catarrhali similis comitatur.

Inflammatorius sanguineos, adolescentes, viros, præcipue injuriis aëris expositos, & inter mulieres agiliores adgreditur.

Vita lauta, spirituosorum abusus, hæmorrhagiæ subpressæ, transpiratio impedita morbo huic generando favent.

Vix videtur, quod a sola sanguinis copia oriatur. Metuendus tamen est: si in sanguinei temperamenti hominibus simul acris labes adsit. Ideo ab aëre frigido per rimas angustas, aut portas obpositas intrante facile

(a) Instit. Medic. Clinic. pag. 264.

(b) Pag. 367.

cile hic morbus inducitur ; dum constrictis partibus externis subposita vasa ab urgentibus plus humoribus distrahuntur , & inde dolor nascitur, quod rubor ac tumor partis affectæ docere videntur.

Hinc cum articuli, & tendinosæ expansiones musculos tegentes in pluribus corporis locis non multum a cute remota ponantur, in quam subito admissum frigus agit; intelligitur ratio: quare toties in illis rheumatismus cotingat.

Ob eandem rationem autumno & vere frequentior hic morbus ; dum calidos dies frigidæ excipiunt noctes.

Alii viscidam sanguinis densitatem rheumatismi inflammatorii causam existimant.

Inchoat rheumatismus inflammatorius cum rigore, febre; sequuntur dolores aut vagi, aut in uno loco sedem figentes, qui non raro intumescit, & tactu dolet, quandoque nullus tumor notatur.

Pulsus horum ægrorum celer est, plenus, durior; fitis major; urina rubra, quandoque crassa, turbida, fœtens, ardorem excitans,

In junioribus , animadvertente Illustri Vogel (a), adfectus rheumatici magis caput, pectus, scapulas, humeros, manus, & dorsum petunt : in viris & senioribus dorsum, & coxas cum femoribus. Sub reversionibus autem ad interiora tendentibus, in illis iterum magis caput, fauces, & thoracem: in his hypochondria, intestina, renes, & vesiam quærunt.

Rheumatismus fixus molestior, vagus periculosior est ; cum subito quandoque pereant ægri, dum materia ad partes nobiliores ut cerebrum & pulmones fertur.

Majus discrimen & cura difficilior in senibus, quam in adolescentibus & mediæ ætatis hominibus.

Quo validior febris, a quo malum hoc incipit : eo plerumque acrior dolor, & molestior totius morbi decursus.

Raro in abscessum abit: imo manifestæ fluctuationes observabantur, quæ post paucos dies dissipabantur.

Rheu-

(a) De cogn. & cur. præc. corp. hum. aff. pag. 369.

Rheumatismus inflammatorius sæpe in chronicum definit.

In partem, quæ sæpius & diutius rheumatismo adfecta fuit, morbus promptius postea revertitur. Quia vasa crebrius vel diutius distracta labefactantur, & facilius cuilibet vi ingruenti cedunt.

Levior morbus transpiratione insensibili terminatur: gravior sudore, urina, alvo, & hæmorrhagiis solvitur.

Cura varia est ob diversas causas, symptomata, & indolem mali.

Levior morbus solis diluentibus, tepidis, & moderato regimine calido sanatur.

Pulsus plenus, fortis venæ sectionem in parte maxime vicina petit, repetendam, donec mollior fiat, & febris impetus minuatur.

Frequenter sanguis eductus, ut in pleuride crusta inflammatoria tegitur.

Laudatur a quibusdam hirudinum ad limbum tumoris inflammatorii applicatio.

Eam vix ferent sensiles & delicati; cum a minimo adtactu dolor sæpe immaniter augetur.

Commendantur & fomenta emollientia,
O 5 leniter

leniter solventia ex speciebus decocti emollientis addito sapone veneto. Verum si talia ob acerbitem doloris sustinere nequeant: vapores aquæ bullientis ad partem adfectam determinandi.

Cavendum a spirituosis, camphoratis, frigidis, quæ partes magis constringunt.

Alvus filens clysmata antiphlogistica petit.

Interne mixtura ex aqua florum sambuci, æceto, rob sambuci cum multo sale polychresto aut nitro largius exhibenda.

Expertissimus Brocklesby (a) in rheumatismo inflammatorio incipiente præmissa venæ sectione in libra una decocti avenæ drachmam unam nitri puri solvit, atque ægris sex, octo, duodecim libras de die propinavit. Continuatō hujus remedii usu per tres, quatuor dies, copiosissimo orto sudore sanabantur.

In morbis acutis inflammatoriis largo usui nitri satis indulgit Illustrissimus van Swieten: unciam semis, imo drachmas sex intra viginti

(a) Oeconomic, and medical observations. pag. 116.

viginti quatuor horas dedit sæpius ; sed semper curam habuit, ut magnam diluentium copiam simul sumerent ægri. Nihil metuebat a vi refrigerante nitri, cum sciret illam tantum obtinere eo tempore, quo nitrum solvitur ; evanescere satis cito, postquam nitrum solutum est.

In numerosis rheumatismo adfectis, qui in praxi mea occurrebant, sufficiebat uncia dimidia salis polychresti aut nitri nychthemero adsumpta. Neque alii Clarissimi Medici, ut Expertissimus Monro in exercitu Anglorum medicinam faciens, ad largam adeo nitri copiam, ut supra laudatus Brocklesby, ascenderunt.

Præstantius in adfectibus rheumaticis non inveni remedium, ac rob sambuci, quod ad tres, quatuor uncias de die exhibitum humores absque motus augmento solvit, & corpus ad diaphoresin, diuresin, & alvi excretionem disponit.

Utiliter mixturæ priori aliquot uncia pulpæ tamarindorum adduntur ; ut indies aliquoties alvus moveatur : cum spontanea diar.

diarrhœa non raro insigniter proficua in hoc morbo observata fuerit.

Ubi laute viventes rheumatismo inflammatorio corripiebantur, in principio mali vix levamen observavi, nisi a crebrioribus alvi dejectionibus.

Sydenhamus quidem purgantia ab initio exhiberi noluit; sed id de fortioribus, corpus turbantibus, & excretionibus per sudorem, urinam impredientibus intelligendum, quæ sub finem morbi accedentes eum ut plurimum integre tollunt.

Ubi febris impetus minutus est: a purgantibus abstinendum, ne corpus nimium debilitetur.

Pro potu decoctum avenæ, hordei, radicis graminis cum oxymelle, & serum lactis utilissima sunt.

Cavendum a stimulantibus, calidis, aromaticis, sudoriferis; ne febre inde aucta nobilioris visceris inflammatio sequatur, vel subtilia educantur, crassa relinquuntur, & ita materies acris in parte adfecta magis figatur.

Celeberrimus Pringle observavit sudorem nunquam profuisse in calido rheumatismo,

Vitanda quoque opiata, quæ febrim incendunt, alvi excretionem impediunt, sudorem movent.

Vidi in rheumatismo febrem jam fatis mitem anodynis exhibitis tanta vi recrudesce: ut ad venæ sectionem largiorem de novo redeundum fuerit.

Boërhaavius rheumatismo laborans ob similitudinem doloris, & propensionem in vomitum se calculo laborare credidit. Opio sumpto paulo post aberat omnis dolor, sed sequenti die immanis erat in lumbis, qui per plures menses duravit.

Conveniunt tamen paregorica iis, qui adeo sensibiles sunt, ut metus convulsionis a dolore nascatur.

Febre per venæ sectiones mitigata, dolore tamen & tumore articulorum persistente: sanguisugas loco, in quo inflammatio & tumor maxime notabantur, adplicandas vult Celeberrimus Pringle, & præcipit, ut deciduis hirudinibus sanguini ex vulnere exitus concedatur, donec sponte cessaret ille effluxus.

Si rheumatismus ex refrigeratorio vel
spi,

spirituoforum abufu &c. partes externas deferat, & internas petat : morbus nascitur periculo pleniffimus. Nofcitur id ex dolore subito evanefcente, deliriis, obpreffione pectoris, & doloribus aliarum partium fupervenientibus.

Omni opera ftudendum, ut materia rheumatica ad exteriora iterum ducatur.

Si febris magna, pulfus fortis, durus: audax venæ feftio inftituenda; pediluvia imperanda; loca, quæ antea dolebant, tepidis & emollientibus perpetuo fovenda. His non proficiuntibus finapismi acriores, demum veficantia artubus, vel & urgente neceffitate partibus antea adfectis adponenda.

Corpus moderate tegendum, decoctum ex radice graminis, floribus lambuci tepide largiter hauriendum.

Depletionibus factis, & moderato febris impetu, levis camphoræ dofis cum pauco nitro utiliffime exhibetur.

A majori camphoræ quantitate abftinendum effe, Celeberrimus Pringle monet: ne calor augeatur & fudor exprimatur.

Altera rheumatismi calidi species a catarrho differre videtur: quod hic in sola membrana Schneideriana hereat, rheumatismus vero partes musculosas, & membranaceas occupet.

Morbus tenerioribus & debilioribus familiarior.

Adgreditur cum horrore, & lassitudine, subsequuntur dolores vel in universo corpore, vel in una hujus parte, qui ad vespas potissimum augentur. Pulsus celer & debilis tangitur. Accedit sitis, dolor capitis. Urina vel naturali similis est, vel nubeculam dispersam habet.

Incerto tempore terminatur, & longius potissimum similis febris excurrit.

Solvitur sæpe miliaribus; urina cum sedimento mucofo; frequentissime sudore æquabili, copioso, non regimine aut medicamentis calidis expresso.

Levius malum moderato corporis calore, tepidis exhibitis, ut decocto radicis graminis, florum sambuci cum syrupo de duabus, & nitro facile debellatur; sed ob leves causas facile iterum redit.

In

In graviore morbo, ubi pars adfecta est, fomenta ex infuso florum sambuci, & cicutæ profunt, vel suadente Sarcone (a) extractum cicutæ cum successu emplastri instar applicatur.

Minor necessitas sanguinem educendi est, ac in rheumatismo inflammatorio. Ubi vero hæmorrhagiæ subpressæ, caloris, ac doloris vehementia eam suadent: cruor eductus crustam multo sero innatantem exhibet.

Saburra in ventriculo aut intestinis hærens leni emetico vel cathartico eliminanda.

Ceterum purgantia minus conveniunt.

Pro medicamento decoctum ex radice graminis, fœniculi, floribus sambuci cum sale polychresto locum habet, cui ubi magnus calor, & sitis observantur, succus citri ad aliquot uncias addendus.

Sal polychrestum & nitrum minori dosi ac in rheumatismo inflammatorio propinanda: ne diarrhœa vires emungens subsequatur.

Diluentia ex. gr. decoctum hordei cum oxymelle vel syrupo de duabus &c. strenue
potan-

(a) Tom. I. pag. 107.

potanda : ut naturæ vehiculum subministretur, quo per varias vias materiem morbi eliminare valeat. Ubi his adhibitis minuta etiam febre dolor acerbus urget: vesicantia temperata ad partem adfectam adponenda, & tamdiu repetenda sunt, donec levamen sequatur,

Tentavit Magnificus Störck (a) ranunculi pratensis folia in pulvem contusa, quæ partibus dolentibus adplicuit vesicatorii loco. Magnum semper dolorem excitavit hoc remedium; dein epidermide in vesicam elevata magna feri copia effluxit, quo factò dolores rheumatici penitus dissipabantur, sed ulcus a ranunculi foliis productum longe diutius stillavit serum acre, & difficilius curabatur, quam si vesicatorium adplicatum fuisset.

Si pulsus in inæqualem, intermittentem, aut valde debilem mutetur: moderata camphoræ dosis convenit, & vesicantia ad femora, vel brachia adplicanda.

P

Sub-

(a) Ann. Medic. II. pag. 122. 123.

Subsultus tendinum, sopor, oculi caliginosi amplum vesicans ad nucliam poscunt.

Ubi vires valde prostratæ, & exacerbatio certo tempore animadvertitur : continuatis antea nominatis diluentibus, & diaphoreticis, extractum corticis peruviani propinandum.

Secus a cortice peruviano nec febris, nec symptomata mitigantur, imo calor augetur, & decumbentes de obpressione pectoris conqueruntur.

Observavit Magnificus Störck in ægris, qui tumore rheumatico universali adficiantur, & quorum cutis totius corporis tertio vel quarto die albo tumore elevari, & acute dolere cœpit : quod fugata per pharmaca febre omnia membra subito detumuerint, & materia per totum corpus dispersa in unum locum confluens ingentes tumores lymphaticos efformaverit.

Frustra tentata fuere remedia externa discutientia, & interna sudorifera, aut diuretica : unde scalpello tumores aperiebantur, quo factò serum flavum, viscidum, leni calore facile inspissandum prodiit.

Vulnera

Vulnera relicta copiosissimum serum su-
dantia consolidationi pertinaciter resistebant.

Adstringentibus adplicatis ægri anxii
reddebantur, & nova oriebatur febris. De-
mum quater per diem lintea carpta infuso
cicutæ madida adplicabantur: unde post pau-
cos dies labia cœperunt coire, & intra unam
alteramve septimanam firma inducebatur ci-
catrrix.

Tres similes ægri mortui sunt, quibus
serum per universam corporis superficiem
antea dispersum, subito encephalon, & pul-
mones petiit.

Rheumatismo febrili decumbentes diæ-
ta tenui ex panatella, hordeo, oryza, fru-
ctibus horæis utantur.

Caveant a nimis stragulis vel cubilis
calore: sed, ut singulis diebus suadente Sy-
denhamo aliquot horis a lecto abstineant,
haud congruum videtur; cum transpiratio
facile subprimatur.

Si post rheumatismum debilitas, gravi-
tas, aut rigiditas partium maneat: unguen-
ta emollientia vel embrocatio conveniunt.

Utilissimum est balneum Badense sulphureum, Vienna non longe distitum.

Munificentia Augustissimæ Imperatricis nostræ Mariæ Theresiæ in ultimo cruento bello domus exstructa fuit: ubi officiales & gregarii milites regis sumptibus alebantur, & balneo utebantur. Tubi ibidem variæ magnitudinis sunt, quibus balneum (douche) ad omnes corporis partes facile derivari potest. Ab initio satis propinque parti adfectæ tubus applicandus est, dein sensim sensimque removendus, ut majori impetu irruat, & sic adsueta absque doloris sensu ferant.

Qui vel ob debilitatem vel ob negotia thermas Badenses adire nequeunt, balneo artificiali ab Archiattrorum olim Comite de Sorbait multum laudato uti possunt.

Est vero Thermalis hujus balnei præscriptio:

℞ Calcis vivæ

fulphuris apyreti ana lib. β.

aquæ dulcis vel danubianæ lib. xxx.

præmissa unica ebullitione extrahatur per noctem lixivium, altera die fiat balneum

ple-

plenum cum aqua fluente, ad cujus refrigerium lixivium factum decantetur remanente in fundo pulvere: & sic balneum factum est.

His speciebus, scilicet huic in ollæ fundo relicto pulveri denuo superaffundatur aqua ex balneo, & calefacto reliquo pro refrigerio reaffundatur. Atque ita idem balneum quater usurpari potest ante specierum renovationem. Hoc balneum, monente Clarissimo Crantz, naturali vix cedit, quin imo secundum indicationes pro hoc vel illo infirmo augeri, vel diminui potest.

Balnea similia quandoque longo tempore continuanda sunt, & optime monet Celeberrimus Strack (a) thermas nostras Badenses sæpius non juvisse, cum non satis iis usi fuerint ægri.

Rheumatismo liberis largior vini usus vitandus, & ab aromaticis, pinguibus, fumo induratis, verbo ab omnibus difficilioris digestionis abstineant.

Nonnulli morbo superato debiles, &

P 3

exhausti

(a) De col. pict. maximeque ob arthritidem.

exhausti manent, ut metus tabis nascatur. His cortex peruvianus, lichen islandicus (N. 34.) cum lacte prodest.

Cum rheumatismus crebro revertatur; ad recidivam præcavendam frictiones leves universi fere corporis & indusium laneum immediate ad cutim portandum commendantur.

Ubi pars tantum adfecta fuit, hæc tempore frigidiori cum successu pellis leporinæ frusto tegitur.





FORMULÆ.

N.ro 1.

- ℞ Ferment. panis libr. β.
 Pulver. semin. sinap. unc. j.
 Aceti q. s.

M.

N.ro 2.

- ℞ Tamarindor. unc. ij.
 Nitr. pur. dr. ij.
 coqu. in libr. jβ aqu. commun. per $\frac{1}{4}$ hor.
 colat. add.

Succ. citr. unc. β.

Mann. unc. ij.

clarif.

Sum. omni $\frac{1}{2}$ hor. unc. iij. donec purgetur.

N.ro 3.

- ℞ Farin. fecal. unc. jv.
 Pulver. semin. sinap. unc. iij.
 Acet. q. s.

M.

N.ro 4.

℞ Decoct. hord. libr. jv.
 • Oxymell. simplic. unc. iij.
 Acet. unc. j.
 Nitr. dr. j.

M. sum. pro lubitu.

℞ Cremor. tartar. dr. ij.
 bulliant in libris jv. aqu. commun. ad
 perfectam solutionem :
 adde dein

Sacchar. unc. ij. vel quantum pro gra-
 ta dulcedine sufficit.

Succi citri ex malis decorticatis recen-
 ter pressi unc. j.

Exhibe.

N.ro 5.

℞ Flor. malv. in pulv gross. redact. libr. β.
 coqu. cum. s. q. lactis in pulvem :
 sub finem add.

Flor. sambuc. rud. tusor. unc. jβ.

M. f. l. a. cataplasma.

N.ro 6.

℞ Herb. acanthi mollis
 — alth. ana M. j.
 Flor. sambuc.
 — melilot. ana M. β.

Rad.

Rad. symphyt maj.

Nucl. lappæ minoris ana unc. β.
bulliant uno alterove minuto in aqu. libr. ij.
colat. add.

Mell. rofac. unc. j.

M.

N.ro 7.

℞ Semin. melon.

— amygdalar. dulc. ana unc. j.
f. cum aqua l. a. emulsio libr. jβ.
add.

Nitr. pur. dr. β.

Sacchar. q. f. ad gratiam.

N.ro 8.

℞ Radic. alth. unc. β.

Herb. alth. M. j.

Coqu. cum libr. j. aqu. ad remanent. unc. jx.
add.

Olei amygdal. unc. jβ.

Electuar. lenitiv. dr. x.

M. pro clysmate.

N.ro 9.

℞ Juris carniū unc. vj.

Nitri puri gr. v.

Spirit. falis gut. iij.

M.

℞ Lact. recent. unc. vj.

Vitell. ovi N.º 1.

P 5

N.ro

N.^{ro} 10.

- ℞ Herb. plantag. latifol.
 — sanguisorb. ana M. jß.
 Flor. rosar. rubrar. M. j.
 Coq. cum libr. jß aq. font.
 facta una alterave ebull. cola,
 & add.
 Oxymell. simpl. unc. jß.

N.^{ro} 11.

- ℞ Radic. gramin. unc. jv.
 Coq. in mens. j. aq. ad remanent. libr. iij.
 in: unde fervide supra
 Flor. sambuc. M. jß.
 post refrigerationem cola,
 & add.
 Oxymell. simpl. unc. ij.
 — scillitic. unc. j.
 M.

N.^{ro} 12.

- ℞ Kerm. mineral. gr. j.
 Sacchar. alb. scr. j.
 F. pulvis.

N.^{ro} 13.

- ℞ Camphor. gr. xv.
 Pulv. gumm. arab. dr. j.
 Miltis & in mort. vitr. diu tritis add.
 Aqu.

Aqu. meliss. unc. ij.

Syrup. kerm. unc. ß.

M. fum. omni hor. bihor. aut trihor.
cochlear.

N.ro 14.

℞ Herb. rut.

— scord.

— alliar. ana M. ß

Infunde cum aq. ferv. libr. jß.
liquori refrigerato, colatoque
add.

Mell. rosac. unc. j.

Spirit. falis acid. gut. x. aut xv. prout
spiritus plus minus fortis deprehen-
ditur.

N.ro 15.

℞ Cort. peruv. rud. tus. unc. j.

coq. in libr. jß aq. ad rem. unc. jx.

D. pro clysmate.

N.ro 16.

℞ Fol. salv. M. ij.

Flor. rosar. rubr. M. j.

inf. c. libr. ij. aq. ferv.

Colat. refrigeratæ add.

Liquor. anodyn. mineral. gut. xxx ad xl.

N.ro 17.

℞ Cort. lign. sanct. unc. j.

ebull. in libr. ij. aq. ad consumpt. libr. j.

Fer.

Fervens decoctum infunde supra
Rasur. lign. sassifr.

— — fantal. citrin ana unc. β.

Semin. anif. stellat. dr. ij.

cola postquam infusum refrixerit.

N.ro 18.

℞ Baccar. juniper. tus. unc. ij.

inf. in aqu. stillat. junip. libr. ij.

digere vase clauso in loco moderate
calido per 3 horas :

add.

Rob. juniperi unc. ij. ,

Oxymell. scillit. unc. jβ.

℞ Sumitat absinth. vulg. unc. ij.

Rad. calam. aromatic.

— gentian.

— imperator ana unc. j.

Baccar. laur. unc. jβ.

— juniper. unc. ij.

Semin. dauc. cretic. unc. j.

scissa , tusa , mista

infundantur calide vase clauso in vini boni
vel & hyromelitis libr. viij. per 24 hor.

℞ Scill. recent. unc. β.

Cortic. cinnamom. unc. j.

infund. in libr. ij. vini boni.

℞ Mil.

℞ Milleped. vivor. unc. j.

Scill. dr. jβ.

Vin. Auftriac. libr. j.

Contuf. infunde per 24 hōr.

fæpe vas agitando :

add.

Syrup. cinnamom. unc. ij.

fum. omn. trih. aut quadrih. ij. cochl.

N.^{ro} 19.

℞ Refin. jalap. gr. xj.

Solv. in f. q. spiritus vini

add.

Eleofacchar. aurant. q. f.

℞ Extract. panchymag. gr. x.

Ref. jal. pin. subact.

Scammon. ana gr. vj.

M. c. f. q. spir. vin. f. pil. N.ro viij.

deargent.

fum. pro una dofi.

N.^{ro} 20.

℞ Rad. imperator. dr. ij.

— pyrethr.

— zingib.

— pimpinell. alb. ana dr. β.

Piper.

• Caryoph.

Caryoph. ana gr. xv.

Mastich. unc. jß.

M. f. pulvis grossus, cujus gr. xv. aut
xx. linteo obvolvi, & pro mastica-
torio exhiberi possunt.

N.ro 21.

R. Gumm. ammoniac. puri unc. ß.
extract. enul. dr. dr. ij.

— mart. pom. dr. j.

M. f. pil. gr. ij aut. iij.

N.ro 22.

R. Cort. peruv. rud. tus. unc. jß.

Limatur. mart. unc. ß.

Cinnam. dr. ij.

Sacchar. unc. ß.

vitro angusti colli immixtis adfunde
vini generosi lib. jß.

colat. exhibe.

Sum. bis aut ter de die unc. ij.

N.ro 23.

R. Aqu. flor. sambuc. unc. viij.

Rob sambuc.

Oxymell. simplic. aa. unc. ij.

Acet. unc. j.

Nitr. pur. dr. ij.

M. sumat omni bihor. ij cochl.

N.ro

N.ro 24.

℞ Rad. gramin. unc. iij.
— alth. unc. ij.
coq. per $\frac{1}{4}$ hor. in aqu. font.
colat. lib. ij. add.
Nitr. pur. dr. j.
Oxymell. simpl. unc. ij.

N.ro 25.

℞ Flor. arnic. dr. jβ.
infund. aquæ ferv. per $\frac{1}{2}$ hor.
colat. lib. j.
add.
Syrup. de duab. unc. j.
Sum. omni bihor. aut trihor. 2 cochl.

N.ro 26.

℞ Flor. arnic. unc. j.
coq. per $\frac{1}{4}$ hor. in aqu. font.
colat. libr. ij detur pro fomento.

N. 27.

℞ Olef amygdal. dulc. unc. jβ.
solve leni calore
Spermatis ceti dr. jβ.

adde

adde demum

Syrup. papaver. alb. aut rhoead. unc. j.
& continuo agita donec omnia simul re-
frigerata liactum æqualiter mixtum con-
stituant.

N.ro 28.

℞ Aqu. fœnicul. unc. vj.
Gumm. ammon. puri cum vitello ovi
optime subacti dr. iij.
Syrup. hyssop. unc. j.
Sumat omni bihor. aut trihor. ij. cochl.

N.ro 29.

℞ Lap. canceror. gr. xv.
Kerm. mineral. gr. j.
Camph. cum gr. xx sacchari tritæ gr. β
M. pro dosi.

N.ro 30.

℞ Camphor. gr. xv.
Pulv. gumm. arab. dr. j.
mistis & in mortario vitreo diu tritis
add.
Aqu. meliss. unc. vj.
Extract. cort. peru. unc. β.

.puryS

Syrup. kerm. aut syr. cort. peruv.
pharmaciae Altenburg. unc. ij.

Sum. omni bihor. aut trihor. ij. cochl.

N.ro 31.

℞ Rad. ipecacuan. gr. xij.
Tartar. emetic. gr. j.

N.ro 32.

℞ Spirit. corn. cerv.
Essent. castor. ana gut. xx.
Aqu. cort. aurant. unc. jβ.
Syrup. cort. aurant. unc. β.

M. sum. omni bihor. aut trihor. $\frac{1}{2}$ cochl.

N.ro 33.

℞ Pulv. gumm. arab. dr. j.
Solv. in f. q. aqu. bull. quam evapora-
tione reduc in mucilaginem spif-
fioris consistentiæ,
admisce dein

Mucil. sem. cydon. cum aqu. ros. extr.
unc. j.

Syrup. alth. unc. ij.

Q

N.ro

N.ro 34.

℞ Cort. peruv. rud. tuf.
 Lichen. island. ana. unc. j.
 coq. per $\frac{1}{2}$ hor. in aqu. font.
 colat. libr. jss. add.
 Diacod. unc. jss.

N.ro 35.

℞ Extr. liquir. dr. ij.
 Olib.
 Styrac. calamit.
 Balsam. Copayb. ana dr. j.
 M. f. pil. gr. iij.

N.ro 36.

℞ Rad. bardan. unc. ij.
 coq. per $\frac{1}{4}$ hor.
 add.
 Hyssop.
 Flor. sambuc. ana unc. j.
 infund. per $\frac{1}{2}$ hor.
 colat. libr. ij. add.
 Nitri dr. ss.
 Oxymel. scil. unc. j.
 — simpl. unc. ij.

N.ro

N.ro 37.

℞ Stipit. dulcamar. unc. ij.

sciss. & leviter tuf.

inf. s. q. aq. ferv. per $\frac{1}{2}$ hor.

dein momento ebull.

colat. libr. ij. add.

Oxymel. simpl.

Syrup. flor. rhoead. ana unc. j.

M. sum. omn. trihor. unc. iij.

N.ro 38.

℞ Gumm. ammon. unc. β.

Extract. trifol. fibrin. dr. ij.

— enulæ dr. j.

F. l. a. pil. gr. iij.

deargent.

sum. quater de die v.

N.ro 39.

℞ Rad. gram. unc. jv.

— acetof.

Tamarind. ana unc. ij.

coq. per $\frac{1}{4}$ hor. in aq.

col. libr. ij. add.

Salis mirab. Glaub. unc. j.

N.^{ro} 40.

℞ Sapon. Venet. unc. β.
 Gumm. ammon. dr. ij.
 Extract. rhei.
 Salis polychr. ana dr. j.
 F. l. a. pil. gr. iij.
 sum. quater. de die vj.

N.^{ro} 41.

℞ Rad. alth. unc. β.
 Sem. lin. rud. tuf. dr. ij.
 decoq. in libr. j. aq. font. ad rem. unc. viij.
 add.
 Mell. dr. vj. vel unc. j.
 pro clysmate.

N.^{ro} 42.

℞ Agrimon.
 Virg. aur.
 Sumitat. hyperic. ana part. æqual.
 infund. aq. ferv. instar potus thee.

N.^{ro} 43.

℞ Unguent. calend. unc. j.
 Camphor. dr. j.
 Olei menth. destil. dr. β.
 M.

N.ro

N.ro 44.

℞ Emplastr. Stomach. ord.
 — de bacc. laur. ana part.æqual.
 M.

N.ro 45.

℞ Sem. 4 cal. min. ana unc. β.
 inf. aq. ferv. $\frac{1}{2}$ hor.
 colat. libr. ij. add.
 Salis thermar. Carolin. unc. j.
 Syrup. fœnicul. unc. ij.

N.ro 46.

℞ Ol. menth. gut. x.
 F. c. sacch. unc. j. l. a. eleosacch.
 add.
 Aq. menth. unc. x.
 Sum. sæpius ij. cochl.

℞ Herb. menth.
 — meliss. ana M. j.
 inf. aq. ferv. libr. jβ.
 operiatur vas.
 dein frigido calidoque infuso add.
 Syrup. menth. unc. β. vel dr. vj.
 M.

N.ro

N.ro 47.

℞ Cort. peruv. rud. tuf. unc. j.
 coq. in libr. jß. aq. ad rem. unc. x.
 sub. fin. coct. add.

Flor. camomil. pug. iij.

Colat. exh. pro clysm.

N.ro 48.

℞ Extr. cort. peruv. resin.

— Mart. pomat.

Gumm. galban, ana dr. ij.

Piper. contuf. dr. ß.

F. l. a. pil. gr. iij.

deargent.

Sum. ter. de die vj.

N.ro 49.

℞ Tinct. purg. Dif. Vien. seu ser. lact.
 tamarind. libr. j.

Sal. segniet. dr. vj. unc. j.

Syrup. rofar. solut. unc. jß.

M.

N.ro 50.

℞ Rad. ipecacuan.
Rhei elect.
Cryst. tart. ana scr. β.

N.ro 51.

℞ Sal. absinth. scr. ij.
Succ. citr. q. s.
M, sum. in actu effervescentiæ.

F I N I S.



UMF

25/11/1963



ANT
Lei 20